INTRODUCTIO

IN VITALEM PHILOSOPHIAM

Cui cohæret

OMNIVM MORBORVM ASTRALIUM ET MATERIALIUM SEU, MORBORVM OMNIVM, ELEMENTATORVM ET HÆREDITARIORUM EX LIBRO NATURÆ, CODICE PHILOSOPHICÆ ET MEDICÆ VERITATIS, ADDITIS VETERUM PLACITIS, HIPPOCRATIS, GALENI, CELSI, ALIORUM.

Explicatio atque Curatio.

IN SPECIALI EXPLICATIONE MORBORVM AGITVR DE CVRATIOnum mysteriis, Indicationum compendiis, Remediorum arcanis. Et primum Galeni & aliorum veterum medicamenta proferuntur: deinde Paracelsi, Turnheuseri, Quercetani aliorumque Neotericorum Philosophorum experientia demonstratur, medicamenta omnium morborum ex Anatomia & Arte Signata, tàm Simplicia, quàm Composita ostendendo.

Tomus VII.



INTRODUCTIO IN VITALEM PHILOSOPHIAM.

Proœmium.



Quàm arduum & excelsum sit, VITALEM PHILOSOPHIAM tractare, quid dicam explicare, & nudam conspiciendam exhibere, ex eo manifestum, quòd à nullo unquam, quod ego sciam, tentatum. Prisci Philosophi & antiqui sapientes, arcanorum mysteria, & viventem Philosophiam adumbratis sententiis involverunt, & eâ lege, quá acceperant, tradiderunt, quod videre est apud Platonem in Epistola ad Dionysium, in qua ita scriptum legimus: Dicis non satis tibi demonstratum esse ejus, quod est primum, naturam. Dicendum est igitur, sed per ænigmata, si quid huic tabulæ vel mari vel terrá acciderit, ut qui eam legerit, non possit intelligere. Quid autem sibi voluit quinquennii Pythagoræ silentium? quid Sphinx apud Ægyptios? nisi mysteria mystico sensu esse docenda & propaganda? Quod ad altiores Philosophos & Medicos attinet, qui diviniore artis origine, potentioreque medendi ratione usi sunt; illi eadem ratione fundamenta artis tractárunt, commentarisque reliquerunt obscuritatum & ænigmatum plena.

Ex jam enumeratis elucet, VITALEM PHILOSOPHIAM semper abditam latuisse, nec viam patuisse ad ejus vitales provincias perveniendi: sed præceptores suis discipulis juratis ac perpetua gratitudine obligatis atque fide præcepta dederunt, multo adhuc sudore enucleanda. Sacramentum etiam

Sev. p. 393. posuerunt discipuli, se Patrum & Præceptorum vestigia imitaturos, nec ulla temeritate servatam à seculorum exordiis naturæ virginitatem profanaturos. Etenim hujus Philosophiæ excellentia, præstantia ac utilitas tanta est, ut nemo fores naturæ clausas aperire, multò minus ad intimos ejus recessus pervenire possit, qui non planè cognitam atque perspectam habeat illibatæ hujus virginis naturam. Quid Philosophi, quid Medici, quid Chemici præstabunt, nisi hanc Virginem osculo osculentur mellito? Possit quidem comtior & ornatior in conspectum amantis prodire, sed (ut virgo casta, quæ à fuco & calamistris abhorret) maluit ita diligenti quidem negligentiam, primo tempore sese incultam offerre, sperans, etiamsi nuda cerneretur, posse tamen mirabilem sui amorem excitare.

STELLA MAJORUM SIGNATA.

PARTIS PRIMÆ CAPUT I.

De Philosophia Academicorum & Peripateticorum.

SACRAM & antiquam Philosophiam explicaturus, placita Philosophorum priscorum, de natura rerum, ante oculos subjicere, paucisque recensere duxi, uti appareat inde, quanto intervallo Vitalis Philosophia, rudem & corpoream post se relinquat. Quibus cognitis & intellectis tempestivum est ad ipsos rerum fontes descendisse. Omnia antiquorum sapientum instituta, ad cognitionem rerum naturalium pertinentia, sub fabulosis integumentis ab illis fuerunt occultata. Nam omnia illa, quæ divinus Plato, & post eum Aristoteles de Mundo & natura rerum tradiderunt: quæque vel Empedocles, vel Parmenides, vel Pythagoras in medium protulerunt, illa omnia fuerunt antiquarum fabularum artificum dogmata, è quibus tantum quisque hausit, quantum viribus ingenii potuit assequi. Significabant enim, Mundum à DEO fuisse creatum, eumque consistere ex universa materia: quare unum esse Mundum, & non plures: tempus natum esse ex cœli motu: cœlos harmoniam musicam, dum moventur, pro ratione magnitudinis corporum efficere: Ætheris sempiternam materiam existere: Elementa esse corruptioni & mutationibus obnoxia, secundùm partes, cum tamen tota moles ita creata sit à DEO, ut esse possit sempiterna. Hæc omnia anima Mundi, sive vis divina, à corruptione præservat. Terram esse immobilem, cæteraque omnia perpetuis motibus agitari. Elementorum partes inter sese vicissim per calorem ætheris ac per frigus corrumpi & gigni, omniumque horum frequentiores fieri circa terram mutationes, per fabulas innuebant. Grandines, imbres & fulmina fieri, cæteraque quæ fiunt in sublimi è vaporibus à Sole in sublime latis. Tum rursus è commistione Elementorum & corruptione diversa gigni animalia & plantas: quorum omnium author est Sol, per moderatum calorem. Omnibus animalibus & de multis principiis compositis semel

roel esse moriendum, cum omne compositum in sua principia solvi denique oecesse sit. Deinde ad explicandam naturam plantarum & frugum perventum est: his esse utiles, diaerunt, temporum vicissitudines, cùm per has modò vires resumere, modò uberes fructus proferre soleant. Deinde animantium omnium generatio, vel vitæ corruptione, vel conjunctione maris & fœminæ. Utrisque procreaodis & educandis confert cœli clementia: nam ex illa temperie nascitur cupiditas procreaodi. Deinde de mutationibus Lunæ ac viribus pertractarunt, cujus humor in plenilunio confert parturientibus, & incremento plantarum, & conservandis animalibus, quæ nata sunt: atque ejusdem facultatis authorem & principem Solem esse diaerunt, quem idcirco & Medicæ artis peritum & sanitatis ac morborum moderatorem putaverunt. Nam cùm mediocritas temperiesque caloris, & gravitas & magnitudo per illum fiat, meritò hæc facultas illi tributa est. Solem esse DEI ministrum, per quem omnia fiunt & nascuntur: cum his miscet Elementa, è quorum commixtionibus oriuntur omnia. Hæc illorum fuit Philosophia, quæ nil est aliud, quàm fabularum sensa ab involuctis exuviisque earum explicata.

CAPUT II.

De Philosophia Hermetica & Hippocratica.

VERA Philosophia est spiraculum DEI, & illustratio divina, quæ in nullius hominis potestate & ratione sita, sed tota à benedictione divina pendet. Quamobtem nemo mirari debet, quòd tam pauci, & de millibus vix unus illum consequantur, cùm donum DEI sit, & quidem perfectum, descendens à Patre luminum, sapientiæ & veritatis. Verum enimverò quo decretum DEI inviolatum maneat, nemini quicquam sine labore, vigiliis, studiis & peregrinationibus concedit, semper mediatè agit, & per manus quasi omnibus temporibus, omnibus nationibus illam tradidit: Propterea in Universitate DEI nobis Peripateticè, hoc est, circumambulatoriè, est studendum & discendum. Plato enim mirabili philosophandi studio, suavitate & cupiditate allectus, in Ægyptum profectus est, ut à Sacerdotibus Philosophiam perdisceret, & ejus veram ac solidam cognitionem sibi compararet. Postea verò delatus ad Brachmanas, ubi Jarcham, principem Philosophorum Indiæ, solio aureo insidentem vidit, & de motu cœli & astrorum, & omnium rerum sublunarium natura differentem audivit. Ne multis: Verus veræ Philosophiæ & Medicinæ Monarcha Paracelsus, apud Ægyptios annos aliquot discendi gratia captivus permansit, à quibus tandem tot pulchra remediorum spolia reportavit. Cùm aotem una tantum vera sit Philosophia, & onitas sumatur ea unitate subjecti, unum totius Philosophiæ subjectum constituatur, oportet. Illud autem est Forma interior & essentialis uniuscujusque rei, in superiori & inferiori Globo existentis, cujus essentia & proprietates totam coostituunt Philosophiam, Astronomiam Physicam & Alchymiam. Astronomi & Magi vocarunt illud, Solem invisibilem: Philosophi & Medici, Primam Materiam: Physico-Chemici, Ra-

Subjectum vera Philosophia.

dicem mineralium simplicem, teste Gebero rei metallicæ peritissimo libro 3. Scio quidem, hanc saniorem Philosophiam multos hodie in amore & deliciis habere, multos quoque illam rejicere & aspernari, tanquam vanam & inutilem. At cum Fabio nobis exclamandum: O fœlices scientias reconditas, artesque bonas, si de illis soli magistri atque artifices boni censerent. Qui verò illam profitentur, iis præclari illi, (si displacet) Philosophi, fraudis, inscitiæ & infamiæ notas inurere nituntur. Quod mutari non potest, ferendum est; invidia aliorum ab hac provincia absterrere nos oon debet. Ab improbis enim & mysteriorum DEI secretorumque naturæ ignaris rideri, penè laudari est: talibus placuisse, vituperari.

CAPUT III.

De Forma essentiali.

RECTE Virgilius primo Georgicôn cecinit:
Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Cùm hæc cognitio omnium sit difficillima, & non nisi longo usu comparari possit. Ardua sanè illa & procul a nostris sensibus remota; tota quippe ex naturæ & essentiæ inspectione cognitioneque nascens. Sed quia omnis scientia ex causis procedit, ac tum demum nos scire rem putamus, cùm ex causarum fontibus intelligimus, sicut perspicuè docetur per Aristotelem, cùm SCIRE absolutè definit ea causis per quas res est. PALLADIS PORTAS nemo aperire & ingredi potest, multò minus ad regium ejus solium accedere, & glorioso dulcissimoque Reginæ conspectu frui, qui harum causarum accurata & exquisita cognitione non fuerit instructus. AUREA HESPERIDUM MALA in horto Tantali sopito Dracone pervigili decerpere nunquam poterit, qui principium reale, in quo omnes causæ continentur & foventur, non penitus cognitum ac perspectum habuerit. Quamobrem cum tam necessaria sit causarum investigatio, omnium primum nobis occurrit principium internum Catholicum, cujus contemplatione neglecta aut non satis perspecta, multi ac magni Philosophi sese in varios sophismatum labyrinthos præcipitarunt. Enimverò ad hoc ENS REALE philosophanti, tanquam ad cynosuram naviganti respiciendum, & nunquam ea oculis animi mittendum: quod sic describimus:

Scientia causarum necessaria. Cap. 2. poster. Analyt.

INTERIOR & essentialis forma est vitale Principium in se continens omnes causas propriæ speciei, quibus suum sibi fabricat corpus, colores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras, * & reliquas signaturas consentaneas officiis & prædestinationibus, tanquam de sinu suo prodit.

** quæ sunt per apparentes in superficie cujusque rei, ut color, forma, figura etc.*

Hæc est Sphæra Pythagoreorum per omnes Mundi partes † æquabiliter diffusa, cujus centrum est cum animo nostro perpendimus, imagines cœlestis ubique, circumferentia verò nusquam. Quam si altius sapientiæ propius adspicientur, DEIque opera in illis umbria ejusque Majestatis in his imaginibus * uberius agnoscetur.

† Id est, Elementa.

** Id est principio vitali.*

Hæc

* Hæc est suavis ac nobilis illa intelligentia ad divini Solis aspectum convertenda.

CAPUT IV.

De prima Materia.

An prima Materia idem sit cum forma essentiali.

Materia prima. MATERIAM primam Peripatetici primum cujusque rei subjectum vocant, ex quo quodvis opus naturale per se, & non secundùm accidens generatur, & in quod resolvitur ultimò. *Quid non sit.* *I.* Sic autem explicant Subjectum primum: Quanquam omnia corpora mixta ex Elementis oriuntur, illa tamen Elementa habent aliquid se prius, materiam scilicet primam, propter quam & ex qua multiplicibus obnoxia sunt mutationibus, & cum ejus corporis forma evanescit, & corrumpitur essentia ejus, eadem nihilominus remanet, non aliam induens formam. *II.* Præterea Materiam primam primum vocant generationis subjectum, ideo in eandem res redire & resolvi ultimò statuunt, non autem immediatè illud accipiendum est, sed omnem corruptionem necessariò tandem terminari in materia prima. Hæc quàm aliena sint à Philosophorum prima materia manifestum erit, si prædicta ad incudem revocaverimus. *Quid secundùm Peripateticos.* Peripatetici hisce argumentis nihil aliud significarunt quàm rude principium & vilem massam, ex qua Elementa creata sunt, quam Græci ὕλην καὶ χάος nominarunt; de qua cecinit Ovidius. *Lib. I. Metamorph.* Siquidem omnium formarum commune receptaculum, locum & matricem illam fecerunt, cùm nihil formam in se recipere possit, nisi sit substantia corporea. *Ratio negationis.* Destructionem unius formæ in illa materia generationis, alterius causam esse, vi privationis docuerunt.

Materia Prima quid verò. Nostra autem prima materia omnibus rebus naturalibus confert formas, sustentat quoque eas, non autem materialiter, sed efficienter & formaliter. In nostram primam materiam nulla destructio, nulla corruptio cadit, cùm sit impatibilis, & nunquam alteratur, neque per naturam, neque per necessitatem, teste Hippocrate. *Serv. pag. 42.* Hinc elucet, illos veram Philosophorum primam materiam, quam Creator incomprehensibili magia admirando decreto in massam illam primam infudit, virtute Verbi & Spiritus illius, qui super aquas ferebatur, intactam, ac velut impervestigabilem reliquisse, cùm sensuum arbitriis, & communibus animi notionibus illa non sit subjecta. Invisibilis est & nuda, mortalium cœtus non ingreditur, sed * vestimenta hábet, quibus se tuetur ab impiorum & stultorum conspectu. ** id est, principia corporum & Elementa.* Hæc Elementorum vestimenta oculos Aristotelis, Galeni, aliorumque multorum Philosophorum fascinarunt, interiorem & essentialem formam totius creaturæ nucleum deprehendisse, & manibus tenere se rati, cortices, siliquas, & fœdam superficialium Elementorum naturam obtinuerunt. Attamen invisibilia vestimentis detractis visibilia reddi possunt, & occulta fieri manifesta. Hæc enim est NUDA SINE VESTE DIANA, quæ se non facile conspiciendam præbet, neque vestes, quibus adeò obvelatur, deponit, nisi ingenioso solertique separationum artificio illi caveatur. *Serv. p. 49.* Vera illa Philosophorum Prima Materia, quamvis invisibilis & spiritualis, tamen nobiscum commoratur & negotiatur, & sensibus sapientum sæpe præsentatur beneficio * vinculorum & vicinorum corporum. ** id est, principiorum, à quibus separari nequit, sed per hæc & in his suas operationes exercet, sed principia sua vestimenta exui possunt, id est, Elementa à principiis separari.* Hanc Materiam Primam Plato divinus præclara ac eximia quadam mentis agitatione persecutus est, & IDEARUM nomine insignivit, cùm ita scribit: Fateri, inquit, oportet esse speciem, quæ semper eadem sit, sine ortu, id est, quæ ex nulla alia præexistente materia composita, & sine interitu, id est, quæ in nullam aliam materiam resolvitur, quæ nec accipit aliunde quidquam, nec ipsa unquam ad aliud procedit, quæ nec oculis nec alio sensu ideo percipiatur, quamque intelligentia veluti sorte quadam contemplandam acceperit. Altera est ejusdem cum ea nominis, illiusque similis, sed quæ & sensibus percipiatur, & genita sit, & feratur semper & in loco sit, unde postea veluti evanescat opinione cum sensu comprehensibilis. *In Timæo.* Itaquidem universitatem, Ideas, & Principium Universale constituit Plato, à quo, etiamsi singulorum formæ pereant, novæ possint suscitari.

Objectio notabilis. Hîc autem nobis quidam objicere posset, cur uni & eidem rei attribuamus vim causæ efficientis & formæ. Quicquid enim habet rationem causæ efficientis, non habet rationem formæ, ut effecti immanentis. *Respon.* Respondemus: quamvis primæ materiæ, ut formæ interiori hîc tribuatur ratio causæ efficientis, teste Aristotele in Acroasi Physica dicente: Forma est principium efficiens ἐνεργειῶν, id est, operationum naturalium. *Serv. p. 27.* Si autem quis adhuc contradiceret, & magis urgeret, huic responsum volumus, nos causas in Prima materia collocare, non autem Primam materiam in causis. Præstat enim nomina rebus accommodare, non autem res nominibus, sicut apud artifices sunt normæ quædam materiales & regulæ, quibus non semper utuntur exquisitè rectis, sed interdum à rectitudine aliquantum recedentibus propter materiam, ex qua materialia opera construenda sunt, sæpe loquatur regula aliquantum obliquata, cujusmodi erat regula illa Lesbia, de qua Aristoteles meminit, quæ plumbea erat, ut ad lapidum figuram flecteretur. *5. Ethicorum. cap. 10.* Ac ita non semper materiam ipsi regulæ, sed quandoque regulam materiæ accommodare oportet, ut inquit Zabatella. Eodem modo propter singularitatem, præeminentiam & majestatem materiæ in Philosophia saniore quoque agendum est. Ut autem luce meridiana clarius fiat, quanta differentia sit inter primam Philosophorum & Peripateticorum materiam singula ordine examinabimus. *Peripatet. sententia.* Peripatetici dicunt, materiam primam esse informem, idoneam tamen cujuslibet corporis naturalis formæ suscipiendæ. *Chemic. sententia.* At secretiorca Philosophi, qui ad intimos naturæ recessus penetrarunt, fatentur, primam materiam omnes formas in se continere, omnesque omnium corporum naturalium formas, tanquam de divite penu è sinu suo promere, & rebus mortuis communicare vitam, actiones, facultates. Quæ cùm ita se habeant, formas recipere, non erit nostræ primæ materiæ, quæ nullius indiget, quæ actu omnes possidet; sed potius Elementorum, quæ secundæ materiæ rationem obtinent. Hanc vocant Philosophi secundariam causam, quia requiritur propter formam tanquam propter finem: Vocant & Causam sine qua non, quia sine ea nihil potest effici: Potestatem vocant Physici in doctrina de principiis, quod sit Ens potestate, quod postea ab agente deducatur ad perfectionem & actum. Nostra autem prima materia & forma interior materiam hanc seu causam secundariam informat, perficit atque determinat. Hinc dicitur Informans & ἐντελέχεια & Actus. Forma illa materiam secun-

dam in certo gradu Entium constituit, ita, ut det ei essentiam & actualem existentiam. Hinc dicitur constitutiva & specifica. Separat etiam & distinguit unum ab altero, primariò & essentialiter. Hinc dicitur Differentia. Sed ut vela contraham, paucisque rem expediam: Peripatetici primam materium vocant Principium merè passivum, rationem quoque addunt, quia patitur se præparari & informari, haud secus ac cera informatur ac fingitur specie nunc canis, nunc leonis, nunc alterius cujusdam animantis, quæ descriptio convenit Elementis simplicibus, communibus, absolutis, non autem primæ Sophorum materiæ: cùm nostra prima materia non passivè, sed activè in composito, se habeat. Collectis igitur allatis rationibus dicimus: Prima Philosophorum materia est forma interior, vitæ principium, actionum fons, fœcunditatis author, generationum transplantationum, omniumque naturalium actionum moderator, cujus beneficio Elementa repugnantia concordi mixtionis lege ligantur, & digestis temporibus corrupti, ac consumtis dictis Elementis remanet nihilominus in hac materia vitæ principium, radix & species rei. Tanta potestate vulgatas Elementorum qualitates excedit.

Descriptio primæ Materiæ secundum Philosophos.

CAPUT V.

De calore innato seu nativo.

Calidum innatum.

QUI parum ac leviter in Philosophia secretiori versati, & nondum insuetas Philosophorum loquendi formas capere possunt, illorum omnis de nomine contentio est, si rei nomen supprimatur, continuò putant, rem ipsam è medio tolli.

Ad opinionem hanc removendam, omnia ea adducenda sunt, quæ aliquid facere videntur, ad rei tam nobilis & excellentis perspicuitatem & facilitatem. Inter alia verò primum sese nobis offert INNATUS CALOR, spiritus, humidum primigenium, natura, quæ altioris quidem sunt operæ & considerationis. Constans & rata sententia est apud Philosophos, omnia viventia propter inclusum in se calorem vivere, illius beneficio alimentum attrahere, conficere, eoque nutriri & sustineri, augescere, procreare: animantia præterea illius beneficio sensu affici & moveri: quantoque perfectiora hæc fuerint opera, tantò caloris vim atque substantiam uberiorem adesse. Viventia autem inferioris Globi dividuntur in tres ordines: nempe Animalia, Vegetabilia & Mineralia: quæ omnia hoc calore vitali continentur, quamvis multi vitam ab universo mineralium genere abstulerint, tamen vitæ manifesta indicia sæpe demonstrarunt iis, qui illorum officinas vel domicilia * diligentius scrutati sunt. Quamobrem Aristoteles vitam uno calore contineri, sine calore neque animalia neque stirpes vivere, verè literis tradidit, & Mortem definiens, vitali huic calori non frigus, tanquam contrarium opposuit, sed extinctionem, quæ ejus est privatio. Cui etiam Hippocrates omnes actiones totius animalis adscripsit, facultates omnes & diversissimas, locis temporibusque consentaneis hujus beneficio pronuntiavit. Hujus naturam investigantes Philosophi in mirabiles errores inciderunt, dum genuinum spiritum & æthereum hunc calorem non discernerent ab Elementari calore, qui rebus omnibus inest ex mixtione & temperatura Elementorum, sed sterilis, inanis, vacuus, rei compositæ ceu comes ac legatus adjunctus. Calor enim naturalis & vitalis ab Elementorum conditione prorsus alienus est. Quamobrem cœlestem ac planè divinum esse dixerunt. Hunc ab Elementari facile quis discernet & internoscet in stirpibus & animantibus frigidis, ut in papavere, lactuca, mandragora, serpente, quæ cum temperamento absolutè frigida sint, non hoc ipso certè, sed solo spiritu & calore vitali vivunt. Deinde in disceptationem vocarunt, num calor vitæ opifex sit substantia, an verò accidens: denique post longas verborum ambages accidens esse concluserunt, sed planè divinum ac cœleste, sicuti & lumen calorve Solis, & unaquælibet vis alis, cœlitus in corpus jam apparatum demissa. Naturam autem eam seu formam, quæ interventu spiritus & caloris in materia consistit, purissimam esse substantiam, eamque totam cœlestem ac divinam, Elementorum haud quaquam participem: Posterius apud Philosophos secretiores ritum est ac per vulgatum, at prius non receperunt Philosophi, sed quando Philosophi loquuntur de calore vitali, non ut accidens considerant, sed simul spiritum genuinum & materiam radicalem, * in qua fundatur, sub caloris nomine & appellatione complectuntur, siquidem nunquam per se inveniatur. Hujus erroris causa est, quod formarum origines ignorarunt, quod latius demonstrabimus, & fusius explicabimus in Capite De formarum origine & differentiis.

Vide Fernel. lib. 4. de spiritu & calore innato, cap. 1

Vita verò in quo subsistat.

Serv. p. 25.

** Vestimenta, quæ sub aspectum nostrum cadunt.*

Sen fol. 23.

Differentia caloris natrvi & naturalis.

Vide Fernel. loco citato

An calor vitalis substantia sit vel accidens.

** qua revera idem sunt.*

Profundiores Philosophi calorem hunc vitalem Internum Solem, Internum Elementum, item Solem mineralem, vocant, in quo universæ naturæ fundamenta continentur. Arnoldus de nova villa apertis verbis id confirmat dicens: Illud cui non est par, est Sol de minera, & sapientes assimilaverunt ipsum præparatum calori naturali sanæ adolescentiæ, & propter hanc similitudinem usi sunt sapientes, & appellarunt Lapidem nomine animalis. Nam vitale Sulphur, radicale humidum totius naturæ thesaurus est. Unica illius potestate omnes omnium morborum curationes absolvi possunt. Galenus eximia & mirabili actionum potestate adductus, nativum calorem appellavit Substantiam facultatum & virtutum, qui alias de substantia naturæ & animæ vehementer dubitavit. Aristoteles huic vitali calori omnes omnium rerum naturalium facultates adscripsit his verbis: Inest in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur, idque non ignis, non talis aliqua facultas est, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura quæ in eo est spiritu, proportione respondet Elemento stellarum. Plato, qui propius ad fores naturæ clausas accessit, hunc calorem seu spiritum, qui animantibus & stirpibus à prima origine insidet, totius formæ custodem & propugnatorem, nominavit, & ab illo totius Mundi generali spiritu, qui unus animam Mundo consociat, omnesque virtutes continet, excitari & conservari literis prodidit. Is enim omnium genitorum seminales rationes, omnesque occultas proprietates complexus, omnia implet, per omnia diffusus, in animantia, in stirpes & metalla propagatur. Atque hæc De viridante Sulphuris Aurai

Libro de conservanda juventute & retardanda senectute cap. 5.

Lib. 2. Artis ad Glauconem.

Lib. 2. de Animal. Generat. cap. 3.

Ad

Primogenium humidum. Different humorum in corpore mixto Elementaris. Fernel. lib. 4. de spir. & calido innato c. 3. Alimentarius.

Ad HUMIDUM PRIMIGENIUM quod attinet, ad ejus veram cognitionem requiritor distinctio accurata humorum in quolibet corpore naturalia cùm alius sit humor Elementaris, alius alimentarius, alius primigenius, & eorum magna differentia. Nam Elementaris & alimentarius multum differunt ab humore primigenio, quod ad substantiam, essentiam, naturam. Elementaris est aqueus humor, quo tanquam viscó terrenæ corporum partes junctæ cohærent, quique rerum omnium ex Elementorum permixtione concretarum est communis. Alimentarius, qui à spiritibus mechanicis * in partibus corporum existentibus seu inhærentibus attrahitur spiritualiter, & corpori pro alimento exhibetur, quem omnia Individua in centro Elementorum delitescentia eò usque attrahunt, donec ad terminum prædestinatum pervenerint, postea verò cessat astrum, ut loquuntur Philosophi, & deserit compositum. In his enim hec sensui nec motui Inservire debuit. Humor primigenius, qui & vitalia appellatur, omnibus viventibus radicitus inhæret, ubi cujusdam speciem ostendit; materia caloris & spiritus subjecta & indissolubilis, ex qua spiritus naturalis & vitalis calor tanquam è seminario prodiens universum animantis corpus perfundit, à quo partium robur & formitas existit. Hic humor pinguis & oleo per qu[...] similis non ardens est, quo partes quam plurimas oblini cernimus, sed alius multò dissimilia & aereus, qui omnem effugit aciem oculorum, arte tamen & industria potest secerni. Is tum spiritus tum innati caloris fundamentum est, atque prima substantia, quem proinde Primigenium appellant. Is nimirum primus est & communis vivenuium omnium, in quo spiritus calore perfusus primum & per se considit, adeò ut neutrum esse possit, ac diutius permanere citra illius humoris opem; siquidem tanta est horum consentiens, conspirans & continuata cognatio, ut semper mutuas operas conferant, nihilque unum efficere possit, alterius ope destitutum. Materia radicalis tanquam fomentum & pabulum est caloris, calor autem illius beneficio sustinetur. Hic est efficiens præcipuum, humidum vice materiæ substernitur calori magisque patitur. Ex quibus unico intuitu ceu in speculo, calidum innatum esse humidum primigenium, insito spiritu & calore undique perfusum. Hæc est tota substantia, ut vocant, Galenicorum saniorum, de quibus satis. Nunc de Natura.

** Sic dicuntur ad differentiam vaporum & fuliginum qui etiam spiritus dicuntur. Primigenius.*

Hinc irrigatio rorida Microcosmi, Sol microcosmi Spiritus & caloris nativi basis & fundamentum. Fernel. citato loco, cap 8.

CAPUT VI.

De Natura.

PLUTARCHUS vir gravis & doctus dicit, ipsam veritatis cognitionem, usque adeò amabilem & desiderabilem esse ut ipsum hoc vivere & esse propter veri cognitionem nobis datum esse videatur. Quod cum certum & firmum alibi, tum maximè in Philosophia ratum, fixum, constans & stabile deprehenditur. Propterea altius eum animo perpendendum, ne umbram tantum naturæ sectemur, relicta lucis imagine, ne posthabita veritatis inquisitione in errores inextricabiles incidamus, & indignum vita & officio nostro faciamus. Enimvero si Philosophiam Aristotelicam spectemus, & doctrinam de natura rerum trutina philosophica examinemus, Aristotelici similes nobis videntur infantibus, qui nuces manibus tenent, circa cortices semper versantur, nucleum verò nunquam degustant. Beneficio naturæ in medium prodeat conspicienda. Natura est principium motus & status rei, in quo inest primò per se, & non per accidens. Quid sibi vult ista naturæ definitio? Nihil facit ad ipsam naturæ substantiam cognoscendam. Etsi enim mihi dicas: Natura est principium motus seu quæ movet omnia, adhuc tamen inexplicatum & indefinitum manet, quænam sit naturæ substantia, quænam sit motoris essentia, à quo omnes actiones, quæ sub motu comprehenduntur, procedunt. At hæ sunt subtilitates Peripateticorum, quibus aliis fucum faciunt. Mittamus istas, ne cum larvis & umbris pugnare videamur. Quamobrem jam nos convertimus ad eos, qui ipsam rei veritatem indagarunt; qui ipsam naturæ essentiam contemplati sunt, qui manibus illam contrectarunt, & oculis viderunt, quibuscum profitemur. Naturæ substantiam & essentiam esse calidum innatum, quale supra descripsimus. Id enim animal vegetabilia & mineralia ab initio conformavit, auxit, & tanquam omnium operum naturalium causa nutrivit. Natura igitur perinde, atque innatus calor tria comprehendit: Humidum primigenium, spiritum & calorem, omnia quidem uno eodemque ortu & semine prognata. Hæc est illa Natura, in quâ seminariæ rerum rationes delitescunt, quibus Platonicorum Philosophia triumphat. Aristoteles Galenus & aliorum asseclæ, qui naturalis Philosophiæ præcepta nobis tradiderunt, naturam quandam esse non dubitarunt, idque tanquam notum, & apud omnes vulgatum Philosophiæ principium statuunt, quod neque demonstrari debeat neque possit, quod sola mente & cogitationibus consequimur. Hujus rei testem Hippocratem adducit Galenus. Hippocrates, quæ substantia sit naturæ nos conformantis & regentis, non est ausus pronuntiare, opificem nostri causam (ut omnibus mos est hominibus) naturam appellans. Sed bonus ille Galenus audiat ipsum in libro de Diæta: Ubi, inquit, ignis omnia universim movere potest, aqua omnia perfecta nutrire. Hæc vero duo sufficientia sunt, cum aliis omnibus, tum sibi ipsis, seorsim vero utrumque nec sibi ipsi nec aliis. Quibus verbis manifeste declarat naturæ essentiam atque substantiam, dum naturam ignis appellatione donavit, qui universim omnia movet: essentiam verò atque substantiam naturæ Aquam appellat, quæ omnia per tota nutrit. Etenim jam dudum à Philosophis profundioribus receptum est, omnia naturalia corpora nutriri Balsamo naturali, licet non puro & impuritatibus permixto. Sic omnia nutrimenta spiritualia & humida sunt ad similitudinem seminum, quæ generationum initiis spiritualia & humida esse oportuit. Multo autem clarius ostendit mentem suam his verbis: Hæc duo sufficientia sunt, tum aliis omnibus, tum sibi ipsis. Seorsim verò utrumque neque sibiipsi neque aliis. Quid hoc oraculo verè divino significare voluit, nisi hæc duo, ignem & aquam, (naturam cum essentia) omnia naturalia constituere, à quibus nomen habent. Seorsim verò utrumque nec sibi ipsi nec aliis sufficere, hoc est, nec ignem sine aqua, nec aquam sine igne, vel, nec naturam sine essentia, neque essentiam atque substantiam sine natura subsistere atque constare posse. Atque hoc est quod Philosophi prodiderunt, temperamentum calidum humidumque omnium minimè in statu suo permanere, quanquam fortasse idem præter cætera in plurimos annos vitam producit, adeò ut ne constare quidem ipsum posse multi sint opinati. Cùm enim assiduè nulloque puncto temporis intermisso humor vi caloris dissipetur, pro calido humidoque temperamento brevi tempore calidum simpliciter irrepet, ac deinde in calidum siccumque traducetur. Sub hæc verò dum absumpto exhaustoque humore calor, alimento fomentoque destitutus sensim languescit, siccum absolutè succedet. Ab hoc verò cùm jam

Natura quid secundum Peripateticos. Fernel. l. 4. de spiritu & calor. (c. 3) Naturæ substantia quæ? Lib. 9 de Hippocr. & Platonis placitis. Sev. pag. 83. Substantia naturæ ex Hippocr. Nutrimenta vera quæ? Destructio Microcosmi. Vide Fernel. lib. 4. de spiritu & calido innato cap. 4.

jam caloe plurimum disjectus atque fusus extabuerit, siccum & frigidum, quod omnium ferè postremum statuitur. Nam spiritus vitales, quorum vis ignea, nutrimenta & Elementa in animantibus in horas consumit, assiduâ proinde opus est restitutione. Rectissimèque ab Hippocrate dictum reperio, nutriri nos ex iisdem, ex quibus constamus, & generationem nutritione continuari. Hinc alimentum à Paracelso semen appellatum est, cùm in omni alimento sit balsamus animalis. Nonne hic Galenus inscitiæ suæ præfecit Hippocratem? Condonemus hoc Galeno, qui sit is Spagyricæ ignarus, & ad arcana Hippocratis numquam ingressus, (quo factum est ut Naturæ essentiam intactam reliquerit) formas rerum non cognovit, ideoque è corporibus elicere non potuit. Ad hujus rei confirmationem, nempe Hippocratem sub ignis appellatione ipsam naturam intellexisse, adducamus etiam aliorum Philosophorum testimonia, ne unius authoritate & judicio stare videamur: quamvis Hippocratis, ut insignis Philosophi testimonium abundè nobis satisfacere possit. Paracelsus de generatione rerum naturalium, item in libro de Electro animam seu naturam vocat IGNEM, cum quo consentit Fernelius, Alanus in dictis quæ posteritati consecravit, naturam appellat Ignem Spatientiæ. Alexander à Süchten vocat naturam Ignem vivum. Raymundus Lullus naturam dicit Ignem naturæ vivum. Idem: Ignis vivus Naturæ. Geber princeps Philosophorum ignem hunc naturæ appellat Sulphur incombustile. Paracelsus hunc ignem Medium naturam nominat, ubi mox eodem loco pauca subjungit, & naturam viriditatis nomine appellat: Hæc est illa benedicta viriditas, faciens res cunctas germinare, hæc est Physicochemicorum Leo viridis, cui omnium morborum curationes adscribit Paracelsus. Vetustus author in Apocalypsi Spiritus mundi secreti sanctè inter alia affirmat, spiritum hunc æthereum (cœlum) in corporea quosi * plusquam glorificato, & quidem perfectè existere. Hoc cœlum inferius primum, cujus scintilla ** Alcohool, quod Spiritus, aqua & ignis. Hoc est quod maximè celebratum à Paracelso in scriptis suis, tum al us magni ingenii Philosophi dicentis: Ignis & Azoth tibi sufficiunt. Magna naturæ mysteria, ut loquitur Paracelsus in Archidoxis, hoc loco candidè tibi communicavi, & fores naturæ his jam adductis aperui, plura quoque sine invidia afferrem, nisi lege philosophica cautum esset, ut & ipsis discipulis sint relicta tædia. Quod attinet ad citatum Hippocratis locum, Hippocrates se ipsum explicat, quæ plenissimam fidem facere possunt, quid velit appellatione Ignis. Nam vel ignis, inquit, in hominis generatione circuitus triplices, facultate diversos distinxit, mutua tamen societate tam intus quàm foris conspirantes, quæ in cavitatibus humiditatum officinis * circuitus habent Lunæ potestatem, motus & maturitates. Quæ verò exterius, ubi solidiora consistunt membra, revolutiones absolvunt, astrorum imitantur proprietates: Quæ in medio consistunt, robustissimi ignis naturam continent, qui intro & foras per omnia transiens omnibus dominatur, idque occulto silentio. Nec enim tactu nec visu conspicuus est. In hoc igne, id est, in astris mediæ hujus revolutionis anima mens, prudentia, augmentum, motus diminutio, transmutatio, somnus, vigilia delitescunt. Ibi spiritus eorum mechanici, adscendentia, spiritualia corpora actionum proxima instrumenta radices habent. Eodem libro facultates, scientias, dona hujus naturæ describit Hippocrates: Hæc φύσις ἀνθρώπων moderatur, alimentorum attractiones, mixtiones, partium dispensationes, consentaneorum conspirationes, dissentaneorum verò expulsiones. Hæc illa, quæ hoc capellit, hoc attrahit, quæ dat, quæ accipit, minora minoribus locis adaptat, majora majoribus, idque commistione alterata & bene temperata. Propterea Orpheus naturam appellavit Πεπρωμένην, quasi fatorum legibus ornatam, quo vocabulo etiam utitur Hippocrates, in ipsa enim naturæ essentia, quæ impellit, suscitat, moderatur omnia, & quia innata est, decreta sua validius peragit. Propter dona naturæ tam varia innumerabilia, & incomprehensibilia Hippocrates naturam dixit ἀπαίδευτον, id est à nullo edoctam. Hoc est lumen naturæ, hæc prædestinatio Paracelsi, quam integre & perfectè cognovisse meritò gloriatur. Hanc naturam dico naturæ vegetabile, arcanam vim numinis, lucis opimam virtutem, quæ perfecti est corporis, vim lucidam sulphuris, vim cœli occlusam, facem & purissimam lampadem, in accessæque ignem virtutis, insignia vivæ formæ, florem naturæ, tincturæ donum, atque nobile germen.

Conservatio nutritionis.

Lib. 1. de secretis creationis.

Lib. de Tartaro.

Aura Physicorum.

** humido primigenio, subjecto caloris insiti.*

*** id est, Spiritus.*

Sect. p. 150.

Lib. 1. de Diæta.

** visceribus quæ nutritioni inserviunt.*

CAPUT VII.

De Anima.

Quid sit Anima, ejusque substantia

OMNIA corpora viventia, quatenus vivunt, sive in Elementorum sinu contineantur & obscurè vivant, sive manifesta vita fruantur, omnia illa inquam ex tribus conflata sunt: Anima, scilicet, Spiritu & Corpore. Corpus & spiritus sensibus quodammodo investigari & comprehendi possunt. At anima ejusque essentia, cum nostrum aspectum fugit, ejus cognitio obscura & animis involuta est, quam eo minus obviam non sit promtum attingere, quo circa sensus nostros effugientem illam, solis operibus & functionibus proditis cernere mens possit, ex effectibus, qui conspicui & objecti sensibus, ut & unamquamque causam reconditam esse inquirendam, investigandam & dijudicandam. Hæc dogmata sunt Aristotelica & Galenica ea uno eodemque fonte hausta. Illi ad anatomiam Geometricis particionibus & figuris adaptare conantur, & sed frustrà. Animam enim sic definiunt: Anima est principium & causa functionum viventis corporis: seu, Anima est perfectio corporis organici. Cùm autem omne vivens corpus statum sit organicum, quicquid illi vitam conferet, actionesque vitales inducet, anima censeatur, quæ totius est perfectio. Proinde dum essentiam animæ aliter cognitam habere nequeunt, relicta essentiæ obscuritate ad ejus proprias functiones, quæ manifestiores sunt, divertunt, & ex his differentias animæ sibi comparant. Sic animam vitâ definiunt, ut propria illius functione, & ex differentiis hisce vitæ animæ genera proferunt. Sic tres viventium differentias animæ complectuntur. Naturale, * sentiens, intelligens; quod alia corpora solius naturæ beneficio vivant, alia sentiant, alia ratione & intelligentia prædita sint. Quasi non tam sensus quam ratio ipsa sint naturales, inque ipsa naturales, inque ipsa naturæ essentia fundamenta habeant: quod luculento testimonio Hippocrates demonstrat, ut dictum est. Atque hæ differentiæ viventium non functionibus, facultatibus, scientiis, donis & signaturis interioribus ascribendæ, sed potius ipsi animæ essentiæ. Vide calamitatem Aristotelis & Galeni, in quam turpes & infelices errores abstractorum subtilitate præcipites agant, dum functionibus & facultatibus animæ attribuunt ipsi essentiæ attribuenda. Sed dicant, quæ in satis & stirpibus

Viventium divisio & anatome.

Cognitio animæ ex accurata. Vide Fernel. de Anima facultatibus. Lib. 6. c. 1.

Definitio Animæ secundum Peripateticos. Fernel. lib. 5. cap. 1.

** id est, vegetativum.*

Lib. 1. de Diæta.

Fernel. loco citato.

pibus naturalia inest, ea sanè est anima, à qua & stirpes animatas dicimus, licet nondum animalia: quæ item belluis præest sentiens, ea quoque anima est, quæ non animatas modò, sed animalia etiam illas efficit. Intelligentem demum hominis mentem nemo fuerit, qui animam esse non dicat. Sic autem sejugatæ sunt atque distractæ, ut neque quæ hominis intelligens est anima sit sentiens, neque quæ belluis sentiens imperat, si naturalis, ut neque homo bellua est, neque bellua stirps: alioquin in magnam confusionem redigerentur rerum species. Quibus cum Hippocrate respondeo, quales fuerint scientiæ & dona vitalium spirituum animæ, calidi, ignis &c. tales signaturas in corporibus exprimi, corporumque ornatum universum in anatomia Iliadi contineri. Ita anima est principium corporis organici: ab hac enim fluit corpus; hujus virtute Elementa principia miscentur, augentur, ea spiritualibus in corporea mutantur, figuris, magnitudinibus coloribus & similibus picturis animæ consentaneis, hoc est, quæ ad prædestinata officia absolvenda operæ pretium obtinent, vestiuntur. Animæ verò unitatem illustri testimonio comprobat Hippocrates: Simul consistere & se invicem constituere possunt masculus & fœmina, inquit: ubi hanc addit rationem, quia anima est eadem omnibus animatis, corpus autem uniuscujusque differt. Anima igitur semper similis est, & in majore & in minore, non enim alteratur neque per naturam neque per necessitatem. Corpus nunquam idem, neque natura neque necessitate nunc separatum ab omnibus aliàs commixtum: Animam hic appellat radicem, vitale principium. Hoc, quia utrique sexui commune est in omnium animalium genere, propterea inquit, simul consistere possunt, in eadem radice fundari, & se mutuò propagare masculus & fœmina. Animæ enim species, vitalia principia rerum, radicales tincturæ stabiles sunt, perpetuæ, mutationi non subjectæ. Itaque eædem & sibi ipsis planè similes persistunt, sive in individuis minoribus, id est, debilioribus, sive majoribus, hoc est, validioribus habitent. Hac igitur animæ unitate demonstrata, dico animam esse spiritus vitales, Cherionium Paracelsi, potestates Hippocraticas, spirituales & vitales potentias, tincturas Cherioneas & qualitates, quæ per totam viventis corporis anatomiam dispersæ, in principalioribus tamen partibus concentrantur & uniuntur, quæ veram essentiam corpori suppeditant. Animæ hujus essentia, etsi obscura, & Aristoteli ac Galeno incognita, nihilominus nobis manifesta, satis cognita atque perspecta est, & artificis industria oculis ipsis subjicitur, quam vocamus Innatam Mumiam, radicalem humorem, mysterium, media animæ, florem animæ, auream vim animæ, atque mentis vigorem in Elementis, quem in æthere Jovem, in aëre Junonem, in aqua Neptunum, & in singulis horum partibus variis Deorum suorum nominibus appellarunt antiqui.

Lib. de Diæta.

PARS ALTERA.

CAPUT I.

De Formarum origine.

Æther terrestrium pater Hebræis. Roseo. Sev. fol. 53.

PLERIQVE cœlum omnium terrâ nascentium patrem arbitrati sunt, terram verò matrem. Ipsum autem æther propterea patrem, quòd aquarum lapsus inde cadentium seminis vicem præbeant: terramque matrem quod matris vice has excipiat, & exinde pariat. Eadem de causa Lunam, quippe quæ totius humoris domina perhibeatur, quasi virilem operam in eo subministrando præstet, à multis Lunum, virili genere vocitatum reperitur, quod professus est Tertullianus. & Cornelius Severus, quem Charisius citat, Phœben epitheto generis masculini adjecto dixit.

Ignea jam cælo lucebunt sidera, Phœbe
Fraternus successor equis.

In Hæbræorum arcanis, quæ Cabalistica vocant, omnes siderum idearumque cœlestium virtutes lunari corpore suscipiuntur, à quo postea in materiam inferiorem, ut genitale semen immittuntur rerum species, fructus animantia, novatusque omnes per Elementa singula progeneraturæ. Aristoteles ut & alii qui eum sequuntur, omnium rerum formas & primas substantias de cœlo deducunt. Galenus formam specificam seu proprietatem, essentialem, uniuscujusque rei ex certo Elementorum congressu, mixtione derivavit. Hæ sunt famosæ illæ dubitationes, quæ naturalium rerum scientiam vehementer obscurant, hoc fonte derivata clades, universam Philosophiam inquinavit, obscuratis generationum & transplantationum legibus, mixtionum confusa administratione, cujus nunc vestigiis insistendum erit, aut adhibenda fides? An priscis Aristoteli ac Galeno? In his quidem, maximè in Aristotelicis audire mihi videor Moysen, qui multis ante seculis conditi Mundi historiam persecutus, æternum Deum, condito cœlo omnique ornatus genere instructo, ait, vim illam naturalem indidisse, quæ nobis in signa esset & tempora: Deinde, animantium omni genere, Mundum jam genitum implevisse, quorum quidem mortalium, ne continuatio & genus aliquando intercideret, illi rei pro sua sapientia prospicientem, seminibus eorum vim divinam impertiisse, qua se in omne ævum gignendum propagarent. Herbam virentem ac pomiferum lignum è terra proferens Deus simul & fructum & semen pro suo quodque genere ferre jussit, ad tuendam suam cujusque speciem. Hic risu merito excipiendi sunt, qui non solum Lunæ, Solis, sed etiam aliorum astrorum positui formarum originem adscribunt. Quomodo enim vegetabilia formarum originem acceptam referent astris, quæ antequam astra formarentur creata sunt? Marinis cetis atque universo piscium generi, avibus, quadrupedibus, homini denique ipsi imperavit, ut sui quodque generis multiplicatione Mundum impleret. Ita summus ille rerum opifex, dum singula conderet Verbo & Spiritu oris sui, simul illis vires inspiravit procreatrices, quibus fieret admirabilis rerum series & continuatio. Valet ergo Aristoteles, valeat Galenus, valeant omnes illi, qui cum S. Scriptura non consentiunt, & Mosen, viventis Philosophiæ interpretem non audiunt. Hoc verò dicimus, non cœlestem motum, ut Zabarella voluit, esse causam universalem efficientem omnium generationum & interituum in hoc Mundo inferiori, sed in semine ea omnia vigere, quæ hic generationum & corruptionum vicissitudine fluere * videntur, adeoque formam uniuscujusque rei esse αὐτοφυῆ, naturæ sponte provenientem, nativam genuinam, non extrinsecus accedere, non à cœlo deduci, non ex Elementorum commixtione nasci, non à stellarum momentaneo positu in inferiorem naturam derivari, sed in ipsis seminibus ea omnia esse, idque variis modis. Hæc dogmata sunt Paracelsica, à sacris literis non abhorrentia, Platonicorum decretis vicina, quibus per omnia consentit Hippocrates in libello de Diæta. Interea tamen superiorum & inferiorum conspirationem, consensum & confluxum non negarim, quem significare voluit Hermes ille Trismegistus his verbis:

Cabalistica formarum origo.

Sev. p. 42.

Formarum origo non astris non adscribenda.

Origo formarum genuina.

Sev. p. 81.
** id est, fieri & interire.*

Hermes Trismegistus.

bis: Verum est, sine mendacio, certum & verissimum, quod est inferius, est sicut id quod est superius, & quod est superius, est sicut id quod est inferius. Scaliger Philosophorum subtilium subtilissimus: formæ inferiores à superioribus foventur, & superiores inferiorum benignitate non destituuntur.

CAPUT II.

De differentia vitarum & varietate balsami in macrocosmo.

AD veram, solidam & exquisitam naturæ cognitionem comparandam, tria potissimum requiruntur. Primum Naturæ, animæ calidi, ignis essentia atque substantia summo studio summaque diligentia est inquirenda: unde proficiscantur formæ rerum, & quorsum tendant prædestinatione absoluta. Quam quidem doctrinam hactenus ita sumus persecuti, ut eam numeris omnibus obsolutam putemus. Secundùm: Quamvis cuncta viventia vitæ unitate principia & exemplaria sua imitentur, nihilominus tamen considerandum, an vitarum sint discrimina & gradus, ut & Balsami vitalis. Tertium: Quomodo ad vitales naturæ fontes perveniendum, qua præparatione, quibus mediis, quo mechanico processu ad usus necessitatesque humanas optimè accommodari possit. Horum trium perfecta cognitio, si in uno concurrit, Philosophum verum constituit. Ad alterum quod attinet, quod in Philosopho necessariò requiritur, vitarum differentiæ & gradus sunt, ut quoque balsami vitalis. Differentia autem vitæ, ut loquuntur Philosophi, in eo consistit, quòd alia manifestè, alia verò occultè seu obscuræ vivunt *. Deinde in naturalibus vita aut est corporea aut spiritualis. Spiritualis in omnibus animantibus deprehenditur. Admirando enim naturæ mysterio decretum, ut quæcunque rerum genera actionum divinitate vigerent, quia in iis actu plurima explicata esse actionum instrumenta oportuit, non potuisse similarem, solidam & stabilem balsami naturam admittere. Siquidem omnes actiones à spiritibus in animante proficiscuntur, & pro diversa tinctura, impressione, confluentia, quam diversis locis recipiunt, diversas quoque producunt actiones. Itaque si partes occupaverit mobiles, motum cient: si sensibiles, sensum, alibi concoctiones, excrementorum separationes, alimentorum distributiones & nutritiones moderabuntur. Hic fœcunditatis memores tincturas admittunt, & præparationes generationi necessarias. Supra diximus, spiritus vitales in animantibus propter agendi vim balsamum animale in horas consumere, proinde opus habere assidua instauratione, mixtione & compositione ad vitam conservandam, producendum. Ex his intelligimus, vitam in animantibus stabilem balsami materiam non admisisse, quamobrem artificum arbitriis non subjectam. Hæc à Paracelso in Archidoxis conformata sunt. Dicit enim ex animalium familia & corporibus nec quintam essentiam, nec verum balsamum derivari. Quæ ex animalibus proficiscuntur medicamenta, ut ex carnibus, sanguine, medullis pinguendine ad vegetabilium ordines referri debere, ex quibus nutriuntur & proficiscuntur. Corporea verò vita in omnibus rebus in centro Elementorum delitescentibus existit, quæ obscurè vivunt, quæ sexuum discrimina vel occulta vel nulla ostendunt, quæ varietate officiorum sensibilium & mobilium non distrahuntur, atque idcirco materiam exhibent, artificum arbitriis subjectum, qui hermaphroditica balsami natura freti generationes & transplantationes miras administrant, qualia sunt mineralia, metalla, lapides, vegetabilia, in quibus spiritus vitales seu anima cum corporibus, non quidem externis crassis, concretis, quæ sensibus obvia sunt, sed internis spiritualibus conjugium fecerunt constans & duraturum, corporibus tamen, quæ actionibus artificum subjiciuntur, in quibus vigent virentque δυνάμεις Hippocraticæ, Cheriones Paracelsi, in quibus colorum & saporum virtutes, imò colores & sapores ipsi proximè fundantur. Atque hæc est prima materia mineralium, metallorum, lapidum & vegetabilium, per totum corpus diffusa, in qua delitescunt spiritus mechanici totius anatomiæ, uniuscujusque speciei potentes.

*Vita differentia * quia corporum complexibus implicata vitales actiones expromere nequeunt, vide Sever. pag. 14. & pag. 28*

Sev. p. 27.

Vita corporea.

CAPUT III.

De principiis corporum, eorumque origine, differentiis, & proprietatibus.

PHILOSOPHI in doctrina principiorum valde dissentiunt, & unusquisque ferè sua opinione ductus sua adfert principia, quæ dum in ratione tantum consistunt, & in natura non fundantur, nullas ex lumine naturæ admittunt demonstrationes. Qui illa sequuntur imaginaria principia in rerum naturalium cognitione & causarum essentialium investigatione versantes, cæco quodam & temerario nixu sursum deorsum trahuntur: dissolutam & sine nervis ac articulis huc & illuc fluctuantem futilemque rerum confusionem animo consequuti, cunctis in rebus, quasi modò nascentes obhæsitant, nihil ratum, nihil comprehensum, nihil fixum habentes, sed semper mancipiti, & in eo loco stantes, à quo levi momento dimoveri possint. Quod quotidiana experientia non solum in Philosophia, sed etiam in medicina testatur & comprobat. Sed secundum speciosos illos, si Dis placet, Philosophos & Medicos, alia sunt principia Philosophiæ, alia Medicinæ & ubi desinit Philosophus, ibi incipit Medicus. Aristoteles, peripateticæ familiæ princeps, tria posuit naturæ principia: duo quidem essentialia, ut ipse vocat, materiam & formam: unum accidentale, privationem. Quæ dum mente solum complectuntur, & ab ipsa rei essentia abstracta sunt, nec explicant, quid rei naturalis materia sit atque forma, nihil omnino faciunt ad naturæ cognitionem, licet definiant ea: Materia est, ex qua res est: Forma est per quam res est: Privatio est absentia formæ, &c. Ubique tamen in explicatum permanet, quid sint vera realia & essentialia naturæ principia. Philosophi quidem omnes Spagyrici materiam constituere & formam: confessi quoque sunt omnes, vetere forma sublata, novam protinus induci, ubi inclusa est tacitè privationis necessitas, sed dum illa in animo versant, vera naturæ subjecta considerant. Quapropter his imaginariis principiis instructus, nemo unquam ad balneum Dianæ perveniet: quare non est quod metuat pœnas Actæonis.

Principia Aristotelis

Galenus fundamenta naturæ fecit Elementa, qualitatibus insignita. Hermes Trismegistus pater Philosophorum omnia ex tribus generari docuit. Ternarium autem explicat, vocatque Spiritum, Animam & Corpus. Quamvis autem non expresse posuerit, quid intelligat per animam, spiritum & corpus: Paracelsus tamen noster ita exposuit, non minus artificiose quam naturaliter in libro de natura rerum: Spiritus est Mercurius, Anima est Sulphur, Sal Corpus. Medium inter spiritum & corpus, de

Fundamentum naturæ Galeni.

Paracelsus Hermetis interpres.

que

quo etiam Hermes dicit, est anima, (sic medium inter Mercurium & Sal est Sulphur) quæ res diversas unit, conjungit, copulat, easque in unam corporis substantiam componit. Harum trium primarum originem, differentias & proprietates jam inquirimus, & hæ sunt, quæ multorum Philosophorum ingenia fatigarunt. Principia nostra nostri Paracelsi, quæ vera fundamenta in natura habent Sulphur. Sal & Mercurius sunt Rationes & seminum soboles. In prima creaturarum constitutione semina à suo fonte progressa in alio fundari necesse fuit. Si seminum imagines peregrinari oportuit, Elementorum quoque consentaneam imaginibus naturam comitari æquum fuit. Sic essentia, existentia, vita & actus entium universorum sunt Elementa, sed non communia. Ad pleniorem hujus rei intellectum, inprimis observanda est corporum differentia. Alia enim corpora exordiis suis viciniora sunt seminibus & vitalibus principiis, alia longius processere. Viciniora ob naturæ similitudinem cœlestia, spiritualia, vitalia, vegetaque appellantur, in quibus cujusvis corporis constans proprietas deprehenditur. Hæc à Paracelso Mercurius, Sulphur & Sal vocantur, non quod revera sint substantia vulgari Sali, Sulphuri & Mercurio similia, sed essentia, actionibus proprietatibus. Et quantum individua illa in suo genere absoluta inter se differunt, tantum illa vitalia principia essentia, actionibus & proprietatibus discrebant. Quæ longius à seminibus recesserunt, terrena crassa, concretaque, mortua & invalida dicuntur. Hæc sunt Elementa illa communia cum principiis commixta, quæ unam similarem corporum substantiam sensibus exhibent, mixtionis virtute. Principia illa formalia & naturalia sunt quidem corpora sed spiritualia: sunt spiritus, sed corporei, & ambigunt quodammodo inter naturam corpoream & incorpoream. Hæc sunt vincula visibilium & invisibilium, temporalium & æternorum, corruptibilium & incorruptibilium, superiorum & inferiorum. Utriusque igitur naturæ, tam superioris quam inferioris proprietates ostendere debent, ita tamen, ut neutrius conditiones purè & exquisite referant. Hæc vincula qui ignorat, vitæ potestatem non didicit, quia mortis anatomia solum exercuit, Aristoteles & Galenus mortem cum vita copulare, mortuisque rebus & qualitatibus vitæ officia attribuere voluerunt, propterea in vanum laboravere: In his spiritibus, spiritualibusque corporibus, potestates omnium naturalium actionum vigent. Separationes, digestiones, & concoctiones in natura beneficio Salis, sulphuris & mercurii absolvuntur, non caliditatis humiditatis &c. ministerio. Temperamentumque singularum partium non ex mixtione calidi, humidi, frigidi, sicci integratur, sed ex mixtione sulphuris, salis & Mercurii inter se & cum Elementis consentaneis, scientiis ac prædestinationibus, prædictorum principiorum & ipsius radicis. Atque hoc est temperamentum nostrum, id est, ipsa natura indolesque rerum, ex scientiis & signaturis principiorum productum. Etenim actionum proprietates, quæ in partibus naturalibus conspiciuntur, ut attractionis, retentionis, separationis, digestionis & evacuationis in salium, Sulphurum, & Mercuriorum vitali anatomia sæpe in externa quoque deprehendimus, & quantumvis tria illa corporum principia in natura unita videantur, proprietates non sine confusione illæsas custodiunt. Salis proprietas ac officium est, corpora congelare, easque solida reddere. Hinc Adamantis durities, hinc auri soliditas, quam Aristoteles & Galenus frigori adscribunt.

Actus & vita.

Quæ sub appellationem nostrum cadunt.

Sever. p. 201.

Actiones partium unde proficiscuntur.

Proprietas Salis.

Sulphuris officium est, pingui viscolaque substantia salis propositam congelationem benigna commixtione temperare, ne soliditate ac concreta salium proprietate ligati spiritus mechanici, actionum principes officiorum injusto committerentur dispendio. Mercurii officium est, ut assidua irrigatione duo priora actionum frequentia ad siccitatem & senium in horas festinantia, foveret, fluidaque & labili substantia mixtionem omnium facilem redderet. Hac necessitate adjunctus est Sali & Sulphuri Mercurius. Sed paucis: In vitali principio, sulphure vitali, prima materia & Balsamo sunt Elementa, & tria illa corpora, Sal, Sulphur & Mercurius, id est, vitale balsamum sibi similia & domestica corpora principia ex Elementis fabricare & componere novit natura. Sic quoque Elementa communia & posteriora, ut vestimenta externa sibi adsciscit. Hæc tria corpora, quorum ministerio colligantur & conspirant universa, vincula sunt continuitatis corporeæ. Interdum hæc spiritualia corpora animæ appellatione designat Hippocrates, ut cum dicit, animam hominis animæ misceri, idque philosophica libertate Tria illa corporum principia, in quibus facultates uniuscujusque principii manifestò vigent, nominibus specierum à Philosophis ornata sunt. Hæc media naturæ, & media vincula, intellige principia tria corporum cum vicinitate spiritibus archiectonicis & radicibus proximè cohærent, Primæ Materiæ appellatione à Philosophis insignita sunt.

Proprietas sulphuris.

Officium Mercurii.

Sentina sunt astra rerum in principiis delitescunt, hæc in Elementis cum locis & matricibus sunt recondita.

Huc referatur Tabula sequens.

Tria

Tria sunt, quæ primordialiter Mundum constituunt, uti docent.

	Moses.	Hermes & antiqui sapientes.	Antiqui Philosophi. Physico chemici.
Elementa.	I. Terra & Aqua.	I. Corpus dictum inferius.	I. Materia patiens. I. Sulphur & Sal naturæ.
	ENS PRIMUM	CREATUM, CATHO-	LICUM.
Principia.	II. Cœlum. Deus vocavit Schamaim, à natura & substantia aquarum ignearum.	II. Spiritus Mundi æthereus, qui est corpus spirituale, spiritus corporalis, omnia permeans.	II. Medium: quod est quasi non corpus, sed quasi jam anima, sive quasi non anima, & quasi jam corpus, conjungens duo extrema. Huc loco principii posuit Aristoteles (privatus lumine veritatis) suam privationem: Effectum pro causa.
Prima materia.	III. Ruch Elohim, hoc est, Spiritus DEI, incubans aquis.	III. Anima Mundi: quæ viriditas benedicta, res cunctas faciens germinare LEO viridis.	III. Forma quæ dat esse rei. Agens.

His sic accommodari possunt quatuor Elementistarum.
1. Terra & Aqua.
2. Aër & Ignis.
3. Quinta Essentia.

COROLLARIUM.

SI horum trium primorum conditiones diverso, physicè, physicomedicè, physico chemicè consideraveris, respectu, & quidem primò vel per se aut invicem mixta, secundò in abstracto vel in concreto; tertiò purè & impurè: (est enim Sulphuri excrementum pingue, fuliginosum: Sali, terra absurda: Mercurio, phlegma) quartò in solido, volatili aut fluxili; in coagulato sive fixo: tum ex labyrinthis omnium objectionum feliciter te poteris extricare.

CAPUT VI.

De generatione, mixtione, & transplantatione.

POSITO solido naturæ fundamento, invictaque veritate principiorum stabilita, tum formarum origine, differentiis & gradibus constitutis, ad generationem morborum accedentes, omnium primum necesse putamus, generationem rerum naturalium, mixtionis ac transplantationis leges ac fundamenta præmittere: deinde, utrum initia generationis sint spiritualia, an vero corporalia: an eodem pacto generentur animalia, mineralia & vegetabilia operæ pretium considerare. Etenim, qui generationum, mixtionum & transplantationum leges ac fundamenta ignorant, ac spirituum potestates ac vicissitudines non advertunt, corpora ex corporibus solùm gigni magno errore confirmant. Siquidem in investigatione morborum ex corporibus sese extricare & expedire non possunt: ex quo fit, ut plurimos morbos incurabiles proclamant. Ad fundamenta autem generationis quod attinet, tria ad omnem generationis administrationem necessaria requiruntur: I. Elementa & matrices. II. Semina, astra, prima materia seu anima. III. Principia corporum. Quæ omnia quantumvis diversa in minima etiam materiæ portione sensuum testimonio planè singulati consistunt atque continentur, naturæque divinitatem ita venerari jubent. Neque temerè vel confuse comprehenduntur, sed vitali & valida planè potestate, infallibili scientia instructa. Officia horum explicare multum luminis afferet nostris contemplationibus. Elementorum, matricum seu receptaculorum officia communiora sunt, & Materiæ rationem obtinent. Seminum primæ materiæ seu astrorum officia hæc sunt, quod sint vincula visibilium & invisibilium, motuum leges, temporum prædestinationes, generationum, mixtionum & transplantationum normas in se contineant, tanquam in efficiente agente, à quo procedunt omnes actiones. Principia corporum proprietatibus & actionibus, destinata sunt, mirabilique proprietatum potestate v gent. Leges generationum, rerum naturalium hæ sunt, ut semina & astra ex fontibus, abyssis, ex ipso Orco in lucem ex Iliado in mundanam anatomiam, constitutis & assumtis corporum principiis, definitis temporibus, progrediantur, individuorumque renovatione & corporum productione specierum perpetuitatem custodiant. Hæc corporum renovatio est generatio, cujus fundamentum in semine consistit: in hac liturgia & actione seminum & astrorum ex invisibilibus visibilia, ex incorporeis corporea fiunt & generantur, potestate vitalis, immortalisque scientiæ in universa natura vigentis, quam scientiam supradiximus esse lumen naturæ & prædestinationem Paracelsi. Hujus potestate & opera Elementa talia vel talia, id est, aut Elementa mineralia, aut vegetabilia aut animalia, (est enim in natura terra vegetabilis, mineralis & animalis: Aqua vegetabilis, mineralis & animalis, idemque de aëre & igne intelligendum) & corporum principiis officiis seminum & astrorum consentanea, colores, sapores, odores, caliditates; frigiditates, humiditates, siccitates, quantitates numeri, conformationes, qualitates vitales omnes, & signaturæ cæteræ in mechanico generationum processu progrediuntur. Quoniam autem nulla generatio sine mixtione perfici possit, eam statim subnectemus. Mixtio autem est seminum ad generationem procedentium instrumentum, cujus ministerio Elementa & corporum principia seminibus convenientia sive domestica * colligata, unitatem suorum exemplarium æmulantur. Mixtionis fundamentum est principium vitale, valida scientia instructum. Forma, Species, semen, astrum;

Tria generationis requisita.
Naturæ divinitas in minimis rerum dissimilarium consistit.
Elementorum officium.
Serv. p. 118.
Seminum officium.
Principiorum officia.
Generatio.
Serv. fol. 79
Fundamentum generationis.
Elementorum differentia.
Mixtio est instrumentum generationis.
** in animalibus, mineralibus, mineralia, vegetabilia.*

bus vegetabilia. *Serv. p. 136.* astrum: cujus potestate & infallibili scientia tam divina mixtionis officia administrantur. Hoc est illud principium, astrum, semen quod generationum omnium fundamentum & radicem demonstravimus. *Terminus & subjecta mixtionis.* Terminus verò & subjecta mixtionis sunt elementis & corporum principia, ex alimentis virtute & scientia mechanicorum spirituum producta. Nam tum primum mixtio fit, cùm ex incorporeis corpora, sed planè spiritualia conficiuntur. Hæ mixtionis leges tripliciter considerantur: I. Est Elementorum mixtio inter se. II. Est mixtio Elementorum cum principiis. III. Principiorum inter se & omnium simul. Nam si unam similarem corporis substantiam sensibus exhibere debent, tria unius esse oportet, & invicem mixta. *Modi mixtionis.* Deinde ratio seu modus mixtionis quoque triplex est. Aut enim miscetur perfectum perfecto, aut corruptibili vel impurum corruptibili; aut corruptibile perfecto. Longè enim alia mixtio prodit, si perfectum perfecto, hoc est, purum puro, quam si impurum vel corruptibile impuro vel puro misceatur. Etenim corporum principia, Elementa & radices rerum sunt duplices: aut sunt perfectæ sive primæ, id est, proxima seminum receptacula, seu quæ proximè ad semina accesserunt, ut sunt principia corporum: *Radices rerum duplices.* aut sunt corruptibiles, sive supervenientes, hoc est, quæ longius à seminibus & astris recesserunt, ut sunt Elementa materiæ rationem tenentia. *Serv. p. 137. & 139.* Quantum igitur inter se distant subjecta mixtionis, tantum etiam distabunt uniones, termini vel durationes. Pura enim puris permixta, h. e. quæ longius recesserunt ab Elementorum impuritate, longa habent digestionum tempora priusquam ad dissolutionem perveniant: *Duratio rerum diuturna vel brevis unde dependet.* qualia sunt aurum, argentum, gemmæ, quæ mera sunt principia, individua planè perfecta & ab impuritatibus externis Elementorum separata. Impura confestim ad interitum festinant, serius, ocyus, secundum subjectorum rationem. Etenim Elementa & principia animalium tempora habent durationum, vegetabilium & mineralium Elementis & principiis plurimùm distincta. Hæc * rursus à procreationibus superioris globi. ** id est Elementa & principia inferiorum. Fundamentum morborum.* De corruptibilibus, radicibus, Elementis, principiis, eorumque mixtione cum puris copiosius agemus in morborum generationibus. Morbis enim anatomiam & morborum continent.

Cùm itaque diversi generationum sint modi ratione Elementorum & seminum, adeoque in quibusdam planè neglecta sint sexuum discrimina, ut in mineralibus & metallis: in nonnullis obscura rudimenta appareant sexuum perfecta separatione individuorum proprietates manifestius explicentur, ut in animalibus: *Sexuum discrimen in mineralibus est nullum, in veget. obscurum, in animalibus perfectum.* hique modi generationum dextrè explicati multum faciant ad morborum generationem rectè intelligendam: *Serv. f. 124.* singula ordine excutiemus à mineralibus exorsi.

Generatio mineralium. In mineralium generatione, quæ quidem intellectu difficillima iis, qui Philosophorum insuetas locutiones nondum capere possunt, observandus est primum nexus eorum, quæ ad generationem requiruntur duplex: Nexus seminis & principiorum: *Nexus subjectorum generationis.* Nexus principiorum & Elementorum. Deinde hanc generationem mineralium naturæ esse consanguineam. Nulla enim generatio nec vegetabilium nec animalium tam fontibus naturæ fontibus existit, nec tam proximè ad fontem unitatis accessit, ac mineralium generatio, quamvis & mineralium quædam suas impuritates admistas habeant. *Mineralia quid.* Mineralia enim sunt rationes & seminum soboles, seu expressius, Mineralia sunt soboles, propago liberi seminum & astrorum in Elemento aquæ delitescentium, qui liberi omnia parentum dona, scientias, signaturas & proprietates hæreditario jure consequuntur, & inviolatas possident. Propterea mineralium classes validissimum obtinent balsamum. * Solidam enim & homogeneam propemodum naturam occupant, ** vitale principium* totam naturæ substantiam penetrantes sibique adæquantes: Itaque perfecta quædam in hoc dea non solum quoad corpus, sed etiam quoad virtutes, Natura astrum, hinc in hoc genere mineralium absolvit, quæ copia & puritate balsami munita, non annorum longa serie viribus exhauriuntur, nec ullis externis injuriis labefactantur. Exemplo sunt Mercurius, de quo Paracelsus dicit: *Paracels tom. 5. f. 65.* Mercurius est perpetua Luna, nec ulla vi aut injuria corrumpi potest. Propter hanc constantiam & perfectionem balsami in Mercurio existentis, Mercurius dicitur renovator & instaurator totius corporis humani. Item Antimonium omnium aquarum cordiale maximum, *Antimonium.* in quo tanta virtus balsami delitescit, ut omnes morbos deploratos & desperatos, tam acuto & chronicos tollere & curare potens sit. Quid dicam de Vitriolo, *Vitriolum.* quod solum quartam morborum partem auferre potest, omnesque morbos Tartareos funditus radicitusque extirpare. Prætereo Sulphurem infinitis proprietatibus ornatum. *Sulphur.* Sal nitrum in maximis morbis insperatum auxilium ferens; *Sal-nitrum* item, Solem, Lunam, margaritas, corallia & reliqua hujus *Sol. Luna.* generis individua. Tanta actionum virtute vitales qualitates demonstrant mineralia, ut vitalium qualitatum, hoc est trium primarum differentias, ex quibus omnes actiones proficiscuntur, ex illis Paracelsus petiverit. Semina eorum in thesauris Elementorum vigentia mundanam provinciam administratura, & in conspectum prodiitura, cum spiritibus conjugium ineunt, sed talibus ex quibus corpora constitui possunt. *Processus mechanicus generationis mineralium.* Atque hoc conjugium est nexus seminum & principiorum. Deinde cum matrices & domicilia oportuna invenerint (unumquodque enim Elementum non in propria, sed in peregrina regione parturit, fructusque suos deponit) corporum visibilium magisque concretorum commercium admittunt. Tum vero Elementa constituunt, non communia illa, sed mineralibus propria: corporum quoque principia similiter, hoc est, Sulphur minerale, Sal minerale, Mercurium mineralem, ignem mineralem, aquam, aerem & terram mineralem. Atque hic est nexus principiorum & Elementorum. His absolutis coagulationes, colores & signaturæ mixtes, quæ in seminibus, astris seu vitalibus eorundem principiis vigebant, prosetunt, metallaque demonstrant, vel mineralia metallis finitima. In nostra Philosophia astrali dictum est, in omnibus rebus, quæ in centro Elementorum delitescunt, vitam esse corpoream, *Vita rerum in centro Elementorum latentium.* adeoque artificum arbitriis subjectam, admirabili creaturis providentia & sapientia. Spiritus enim mechanici, seu anima cum corporibus conjugium fecit constans & duraturum, non quidem externis, crassis & postremis corporibus, quæ omnino invalida & infirma sunt, sed internis & spiritualibus, quæ proprietatibus suos destinata. Ac proinde quæ in centro Elementorum radices habent defixa, obscurè vivunt, quia officiis & actionum varietate explicata non distrahuntur, nec sensui nec mortui inserviunt. *Obscurè quæ vivant.* Quæ verò obscurè vivunt, semen commune hermaphroditicum obtinuerunt, multis speciebus consentaneum, *Serv. f. 124.* hoc est, ita comparata est natura obscurè viventium, & in centro Elementorum delitescentium, ut de omnibus sui generis speciebus aliquid participent, & propter naturæ harmoniam, societatem & constellationem facillimè conspirant. Hæc exemplis illustrantur, & clariora fiunt. Alexander à Süchten in quodam tractatu de Antimonio, *Vide Querela contra Anonymũ f. 34 Antimonium.* sese una in radice Antimonii non solum tria principia unita, mineralium radices, verum etiam aurum, argentum, Martem, Jovem &

Ex Venere & Marte fit Vitriolum Fol. 124.

Saturnum depiehendisse, excepta Venere. Sic ex Venere & Marte Vitriolum arte elicitur. Ea metallo minerale, & è contrario. Hoc est quod dicit Danus: Magna naturæ potestate admirati sumus in mineralium semine, non sulum scauum non explicatam varietatem, sed etiam individuorum & specierum in uno eodemque semine unita principia. Hæc sunt arcana mysteria & magnalia DEI, in majestatem naturæ collocata. Atque hæc dicta sufficiunt de generationibus Elementi Aquæ.

Generatio vegetabilium

Nunc ad generationem Elementi Terræ accedemus, & de vegetabilibus agemus. Vegetabilia autem omnia ea sunt, quæ radicem in terra defixam habent, quæ anima vegetativa sustinentur: propterea que, Plato plantas animatas dixit. Insignes autem generationum differentiæ sunt respectu Elementorum & seminum. Semina quidem & astra semper eadem sunt, natura, virtute, essentia, ast Elementa multum inter se differunt, subtilitate & nobilitate. Sicut autem Elementum Aquæ subtilius & nobilius terra est, ita etiam fructus & procreata Elementi aquæ terræ fructibus sunt subtiliora, nobiliora, validiora, præstantiora. Hinc fit, ut semina vegetabilium habeant corpus viscosum, lentum & crassum, respectu mineralium & animalium, quorum semina corpora magis spiritualia & subtiliora acceperunt.

Differentia generationum unde.

Differentia mineralium & vegetabilium.

Modi generationis vegetabilium.

Quod ad modum generationis vegetabilium attinet, eorum quæ sponte proveniunt, nulla humana industria, cum mineralibus ferè idem est. Nam semina vegetabilium ea matrice terræ progredientia primum quoque cum spiritibus conjugium ineunt, & principia sibi constituunt, Sal vegetabile, Sulphur vegetabile, Mercurium vegetabilem, Aquam vegetabilem, Terram, Aërem, ignem vegetabilem. Sed hoc observandum & notandum quam maximè, quod fructus uniuscujusque Elementi naturam, proprietates ac conditiones matricis suæ, in qua à principio delitescebant, retineant, nunquam vero exuant vel deponant. Ita Paracelsus lib. 3. cap. 2. de gradibus adduxit hanc differentiam, Et fructus & procreationes terræ fecit primi gradus: aëris fructus secundi gradus: aquæ fructus tertii gradus subtilitatis: Ignis fructibus quartum gradum adscripsit, ubi hæc verba adjunxit: Frustra sudabit, quicunque ea terrenis quintam essentiam affectaverit, similem ei quæ ex aere elicitur. In hunc modum ea quæ ex aëre * est, ad illam, quæ ex aqua erumpit, nunquam conferri potest. In hanc sententiam de quarto Elemento est judicandum. Exemplum de extrahenda quinta essentia è Chelidonia. Nihil est quod Ishores, per quintam essentiam Chelidoniæ quintam auri adsequi. Quanquam in Melissa, Chelidonia, Valeriana plus arcani quam in reliquis * insit: tamen eo usque præcedit gradus, ut hac eminentia arcanum illud multis partibus superet. Sic in quolibet gradu aliud consistit altius alio. Quare in terrenis observandum, num Chelidonia Melissæ præstat, num Melissa Valerianæ. Similiter etiam de tribus aliis Elementis judicandum. Spontanea vegetabilium generatio ad naturam maximè accedit, & mineralium generationi fere similis, excepto eo, quod semina mineralium, quoad plantationem hominum arbitriis non subjiciantur, neque individuorum propagatione, ut vegetabilia, specierum perpetuitatem custodiant. Semina enim vegetabilium sunt duplicia, semina astralia, quæ Naturæ soli subjecta, deinde semina materialia, hominum sensibus & arbitrio subjecta, ut hordei, tritici, avenæ. & leguminum, quæ nonnisi industria & urbana cultura proveniunt. Nam in plantis diversi sunt propagationum modi. In mineralibus verò unus tantum modus, isque spontaneus, nullo hominum labore excitatus. Quædam enim vegetabilium industria & cultura hominum seminibus materialibus seu granis rotundis, trigonis, oblongis, quadratis &c. propagantur: quædam surculis, ramis, radicibus, nonnulla avulsione. Tempora quoque, ortus & demersiones horum seminum sive astralium sive materialium diversæ sunt. Quædam enim vere, quædam æstate, quædam autumno germinant, suosque fructus edunt: nonnulla ab initio, medio vel fine veris, æstatis, autumni, vel alia in Cancro, alia in Libra, Virgine, aut Leone oriuntur, & in lucem aspectumque hominum prodeunt. Confluentiam naturæ admirabitur, qui certorum siderum ortu occasuque plantas prodire atque germinare animadverterit.

Observatio notabilis.

** idest fructibus aereis.*

Exemplum.

** Vegetabilibus aliis.*

Semina vegetabilium duplicia Astralia & materialia.

Tempora ortus diversorum seminum.

Loca quoque idonea requiruntur in vegetabilium generatione. Populus, salix, persicaria amat aquas. Trifolium, satyrion, herba paralysis prata. Origanum, chamæpytis montes, de quo Virgilius ita cecinit: *Georgic. 1.*

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina. Et rursus: *Georgic. 2.*
Nec verò terra ferre omnes omnia possunt,
Fluminibus salices crassisque paludibus alni
Nascuntur: steriles saxosis montibus orni,
Littora myrtetis lætissima, denique apertos
Bacchus amat colles: Aquilonem & frigora Taxi.

Horum autem causam reddit in sequentibus: *Georgic. 1.*

Quippe solo natura subest.

Hoc est pro ratione temperamenti, & amica conspiratione superiorum & inferiorum semina scientia innata suis locis temporibusque proferunt. Alia enim aëris constitutio circa aquas vel flumina alia in vallibus, in quibus tanta potestate radii solares aërem turbidum & crassum penetrare & temperare non possunt. Aliam aeris temperiem habent colles, aliam montes. Conspiratio enim superiorum & inferio- „ rum maxime consideranda in generationibus infe- „ rioris globi, si confluentiarum prævaricatione an- „ nonæ, calamitates, sterilitates & defectus pari- „ unt.

Tres insignes sunt generationum differentiæ in inferiore globo: mineralium, vegetabilium & animalium. In Elemento Aquæ quatuor species fructuum apparent, Salia, mineralia, gemmæ, & lapides, uno nomine Mineralia dicta. Procreationum Elementi Terræ duæ tantum sunt species: Plantæ, Arbores, Vegetabilia dicta. Quibus explicatis, ad generationem animalium descendemus. Vitale principium naturæ animalium in materia quadam radicali fundatur, in balsamo scilicet animali, in sulphure, mumia vitali, quæ duo, nimirum principium vitale seu calor nativus, & humidum radicale seu humor primigenius conflans conjugium fecerunt, ut in Philosophia nostra sub calore nativo demonstravimus. Hæc est prima materia animalium, quamvis subtilitate spirituale balsamum vegetabilium & mineralium antecellat, neque fundetur in materia artificum arbitriis subjecta: nihilominus tincturas in se habet potentissimas, in quibus, tanquam in mechanicis spiritibus scientiæ omnium partium anatomiæ animalis delitescunt. Minima enim gutta seminis universam anatomiam totius speciei continet; quia spiritus mechanici, & generationum principia à dimensionibus & corporum angustiis excipiuntur, hoc est astra seu prima materia animalium geometricis demonstrationibus non est subjecta. *Sev. p. 104. & 111.*

Hic

Seminis animalis origo. Hic Aristotelici contendunt, hanc materiam seminalem in anatomia testium solum contineri. Hippocrates verò ex validissima radice totius animalis semen derivari hoc indicio testatus est, quia tantilla materia evacuata tantæ fiunt in corpore mutationes, & tanta virium jactura. Validius autem in corpore nihil est *In libro de fugaci Philosophia.* balsamo animali seu vitali sulphure. Hinc Paracelsus hanc materiam radicalem Quintam essentiam limbi Jagastri appellavit. Hinc Philosophi semen animalium viriditatem naturæ & florem roboris vocavere.

Quamvis non negamus, materiam illam cruditati *Materia spermatica opus habet elaboratione.* & imperfectioni subjectam, quæ testæ vicem obtinet, qua spiritus mechanici & generationum principia vestiuntur, generationis membra elaboratione & debita digestione ad maturitatem perducere: alioquin irrita futura esse generatio, idque non spirituum mechanicorum & principii vitalis fugacitate, sed corporum imbecillitate & debilitate. Hæc est *Serv. p. 102.* vera seminis origo in animalibus. Ex his modo dictis apparet, semen balsamum animale non in cerebro, testibus, vel spinali medulla tantum contineri, sed per totum corpus, h. e. per totam anatomiam ani- *Balsamus per totum corpus diffunditur.* malis diffusam esse vitalem mumiam, materiam radicalem, materiam primam. Hæ igitur vires & facultates quæ cum spiritibus, ex universo corpore, maximè verò ex principibus partibus confluxerunt, illi demum seminis materiæ, in testiculis præparatæ & *Vires & facultates seminis, procreationis opifices.* elaboratæ insident, tanquam procreationis magistræ & opifices. Aristoteles quidem multis rationibus contendit, ut demonstret mulieres semen nec habere nec emittere in actu Venereo: at contrariam hac potissimum ratione doceri potest, quod testiculos, vasa seminaria acceperint. Quæ omnia, si natura non frustra condidit (ut nihil frustra facit) generandi seminis facultatem simul his attribuit, hujusque causa *Fernel. l. 7. de hom. procreatione. cap. 6.* fabricata sunt. Rei veritas sensu testimonio comprobatur. Nam fœminis, quæ diutius sibi à coitu temperarunt, dissectis, in vasis semen circumfluere *Contra Aristotelem de semine mulierum.* conspiciunt, æquè ac in maribus. In ipsis verò testibus crassius & perfectius. Quia etiam per insomnia eæ interdum fatentur, semen non minori se voluptate, ac in coitu emittere. Viduis & iis quæ diutius Ve- *I Demonstratio ex anatomia. II. & III. ratio.* neris studia intermiserunt, ut per insomnia, ita & obscœnarum partium titillatione copiosum crassumque semen erumpit. Hæc non solum integra sensuum fide confirmat, sed etiam ipsa natura humana plenissimam hujus rei fidem facere potest, iis præsertim, qui noverunt eam. Semen autem mulieris con- *III. Ratio.* currere ad generationem inde colligitur, quod mulier, quæ morbo comitiali, calculo aut podagra affligitur, prolem edit horum morborum hæredem: *IV. Ratio.* quod demum partus sit plerumque matri similis, quæ omnia non maternus sanguis, sed quod ab illa profusum est semen, efficere potest. Proinde nec maris nec fœminæ semen seorsum per se, & solitarium aliquid efficere potest in perfecta generatione, sed utri- *Collectio.* usque concursus & mixtio vera ad perfectam generationem requiritur, frustrata enim mixtione perit generatio.

Generationis modus in animantibus perfectis in quibus perfecta sexuum, maris scil. fœminæque distinctio, solers & provida rerum natura, ut eas quandoque ad generis propagationem invitaret, ne universum genus intercideret, libidinem quasi stimulum ea seminis ardore utrique injecit, & partibus obscœnis illecebras & admirabile congressus desiderium, ut fusa semina in unum conferrent, alioquin *Vide Fernel. lib. 7 de procreatione hom. c. 8.* prorsus inutilia futura. Quibus concurrentibus & debitè omnibus conspirantibus, semina maris & fœminæ utero excepta mutuo amplexu miscentur, (spiritualia enim sunt consentanea, ab una eademque radice profecta, iisdem donis, scientiis, signaturis instructa.) mixta deinde continet arctissime uterus, ac in sinus suos recondit, adeo certè id undique comprehendens, ut nullum spatium intus inane sinat: quin & in id sese contrahens os suum interius adeo coarctat & claudit, ut ne vel minimum quidem dehiscat. Tanta est matricum & seminum confluentia. Cervicis autem uteri os exterius, quod est ad partes obscœnas, nunquam non patet. Duo enim *Aphoris. 34. lib. 6.* orificia habet uterus, quod demonstrat Oribasius suo loco. Permixtis jam seminibus & utero conceptis, amborum vis una eademque natura fit. Ex quo iam mechanici spiritus, tincturæque radicales vitalis caloris copiosam supellectilem secum adduxerunt, motus utique in utero eorundem spirituum confestim apparebit, quamvis obscurus. Sic cordis & arteriarum officia statim aderunt, vitalique pulsu aereum & spirituale alimentum attrahent per occultas vias, juxta scientiam & potestatem spirituum mechanicorum. Naturæ enim omnia patent, teste Hippocrate: deinde partes seminis tenuiores, calidiores & spiritus magis participes, id est, spirituales tincturæ intro, & in medium totius massæ se recipiunt. Crassæ verò & magis terrenæ partes seminis illas ambiunt, & circumcirca obvallant: ex quibus spiritus mechanici membranas fœtum obvolventes profetunt. Hæc sunt prima generationum rudimenta in animalibus.

Hic autem Fernelius, Galenus & Aristotelici in arenam descendunt cum Hippocrate, illique contradicunt, qui in libello de locis in homine comparat seminis naturam circulo, figura simplici, uniformi, in qua nec principium nec finem quis inveniet: idque quantum attinet ad partium corporearum varietatem, in seminibus actu subsistentium. Verum enimverò Aristotelici dicunt: hic spiritus facultates habeas, & naturæ instrumentum tres bullas in medio seminis constituit, quasi guttas pellucidas, quæ tum proximè sibi rudimenta quædam & principia cahibant trium principaliorum membrorum, cordis, jecoris & cerebri. Non enim generationis mecha- *Figmentum Peripat. de corporis partium principaliorum rudimentis in semine fulcitur.* nicam liturgiam & seminum administrationem artificiosam animadverterunt, nec scientiæ potestatem, a qua omnia proficiuntur, intellexerunt: sed corporea partium rudimenta in semine finxerunt, maximeque principalium viscerum, quibus separatis, à calore coactis, membra tandem ostendant, quorum exordia obtinuerant. Hippocrates verò in eod. *Seminis natura ex Hippocr. Serv. p. 163.* lib. De locis in homine, in princip. hanc suam sententiam confirmavit & stabilivit, dicens, se nihil in corpore reperire, cui possit principium adscribere, neque postremum quippiam: quia si circulum descripserit quis, principium vel finem non inveniet. Ac proinde seminis natura planè spiritualis cum sit, & tale quoque nutrimentum secum ad matrices attulerit, non existimare debemus, in semine esse partes dissimiles, ita quod aliud sit corpus cerebri, aliud *In semine non sunt partes dissimilares, sed diversæ facultates.* cordis aliud hepatis: sed hanc multitudinem partium temporis progressu ex uno semine exituram, non mole nec corporum multitudine æstimari oportet: sed donorum, rationum, scientiarumque varietate, qua pollent, spiritus mechanici. Tanta enim spirituum eorum potestas est, ut si scientiam habuerint cordis, ex alimento attracto cor conformaburit, *Causa tantæ diversitatis tot membrorum ab uno simulari semine productorum.* si cerebri, cerebrum; si hepatis ex eodem alimento hepar, carnes, venas, ossa, nervos, arterias, oculos, aures & universa membra, quæ ad animalis constitutionem concurrere oportet: idque debito ordine, definitisque temporibus. Etenim est perfecta scientia seminum & astrorum potestate plena, quam in natura vigere clamant & confitentur creata omnia. In hac scientia oés signaturæ tam interiores

quàm exteriores totius animalis continentur. Hoc eſt lumen naturæ & prædeſtinatio à Paracello toties decantata. Jam autem, ubi partes univerſæ corporis animalis ordine legitimo fuerint diſpoſitæ & ſeparatæ, alimentum copioſius & ſolidius requiritur, nec occultæ viæ ſufficiunt, membranis quoque in quibus fœtus involvitur indies craſſeſcentibus. Mox in his venæ & arteriæ effinguntur, per umbilicum utero alligatæ, quæ fœtui ſpiritum & alimentum ſuppeditant, donec unaquæque particula conformata, integrè conſummata atque firma ſit. Alimentum autem attractum eſt ſpirituale (ſicut omnia tam vegetabilia quàm mineralia ſpiritibus & quidem ſubtiliſſimis nutriuntur) in quo eſt balſamus animalis, humanæ naturæ conſentaneus. Hinc Alimentum à Paracelſo Semen appellatur, cui conſonat illud Hippocratis: Ab iis nutrimur, è quibus conſtamus. In hoc Balſamo animali ſunt Elementa & tria illa corporum principia, Sal, Sulphur, & Mercurius, ut in anterioribus demonſtravimus. Sed hic ſeſe nobis offert Galeniſtarum craſſum & impudens mendacium, quo dicunt, fœtum in utero materno menſtruo ali, veneno in terris maximo, cùm tamen ipſe Ariſtoteles dicat, ſanguinem eum, qui ſtatis circuitibus profluit, in mulieribus, genus eſſe quoddam ſanguinis vitalis, & quaſi ægrotans. Etenim à puriore ſanguine ſecernitur naturæ beneficio, præſertim decreſcente aut ſilente Luna. Hoc excidente, ſi novella vitis tangatur, in perpetuum læditur, ſteriles fiunt tactæ fruges, moriuntur inſita, exuruntur hortorum germina. Si omnino mulier prægnans alterius menſtrua ſuper grediatur, aut illis circumlinatur, abortum facit: ei autem quæ uterum non geſtat, concipiendi ſpem adimit. Mulierum quæ purgantur ſpiritus & vapor ab ore ſpecula atque eboris nitorem obſcurat. Guſtatus hic ſanguis canes in rabiem agit, homines autem miris cruciatibus affligit, comitialem morbum, pilorum defluvium aliaque Elephanticorum vitia infert: idcirco à veteribus inter maxima venena relatus. Hic cum in muliere ſupprimitur, nec ſtatis temporibus emanat, ei etiam cui proprius eſt, debetque familiaris eſſe, graviſſima adfert incommoda, nimirum viſcerum obſtructiones tabem, cancrum, morbum comitialem, hujusque perniciei quamplurima. Cum itaque tanta ſit ejus pernicies ſitque vis ei tam peſtifera, quis tam demens ac veſanus erit, ut fœtum in utero geſtatum alimentum ex eo capeſſere ſtatuat? Imo tum optimè ſolet utero concipere, cum ab hac fœda eluvie munda, ac purgataque fuerit, cumque purus exiſtat tum uterus tum reliquus ſanguis in epate, ex quo tandem fœtus alatur. Quanquam autem reliquo deinde temporis circuitu vitioſus ſimiliter ac prius ſanguis congeritur & accreſcit, eò tamen haudquaquam fœtus continetur aut vivit, nec eum, ſed quantum poteſt puriſſimum atque ſuaviſſimum pro alimento ſibi attrahit. Poſtquam verò fœtus cum ad perfectionem & complementum venit, copioſiore egens alimento & ſpiritu, diutius ſe concludi non patitur. Ruptis igitur omnibus vinculis in lucem & conſpectum prodit. Galenici ſexuum diſtinctionem adſcribunt qualitatibus, hac ratione, ſi utriusque parentis ſemen calore ſiccitateque plurimum excellat, mas procreabitur: contra ſi frigus humorque vincat & exuperet, fœmina. At nos profitemur, utrumque ſexum in una radice & vitali principio contineri, supervenientibus verò mixtionibus & tincturis maſculum robur in fœmineam mollitiem & patiendi facilitatem degenerare, fœminamque nihil aliud eſſe, niſi tranſplantatum maſculum, non quidem, ut Ariſtoteles voluit, monſtrum ex tranſportatione ortum, ſed hanc tranſplantationem eſſe neceſſariam, naturæ legibus adminiſtrari. Quamobrem non calori vel frigori adſcribenda eſt hæc tranſplantatio, ſed ſupervenientium mixtionum tincturis: quas tincturas commodius explicabimus in doctrina tranſplantationum. Atque hæc de generatione perfectorum animalium, quæ ſemen validum obtinuerunt, in ævi conſumtionem duraturum, utcunque tranſplantationum calamitoſis mutationibus agitetur. Sed hic ferè obliti eramus ſubtilitatis Galenicæ, fœtum in utero materno circiter diem ſextum & trigeſimum ſenſus facultate illuſtrari. Miror certe, quis eorum ad occultos naturæ receſſus penetrarit, qui fœtum in utero materno obſervarit, quo tempore ſentiendi facultatem accipiat fœtus. Si dicant ſeſe diſſectione ita animadvertiſſe falſum eſt. Nam fœtus amplius ſuperſtes eſſe nequit, pereunte matre. Si vero objiciant, matres id obſervatione deprehendiſſe, ex illis quæro, quomodo aut qua ratione? certè ſi ſcientias & poteſtates ſeminis intellexiſſent, hæc anilia figmenta non protuliſſent. Quòd verò Hippocrates profitetur, marem tertio menſe, fœminam verò quarto firmatis oſſibus & paulo durioribus factis moveri, concedimus. Mater enim prægnans primos motuum inſultus obſervare poteſt, cùm quaſi volitantis muſcæ excuſſionem vel titilationem percipit.

Alimentum rerum omnium eſt ſpirituale. — *Sev. p. 184.* — *Lib. 1. de hiſtor. animalium, cap. 19.* — *Vide Fernel. lib. 7. de procreatione hom. c. 7.* — *Malignitas menſtrui.* — *Incommoda ex obſtructis menſibus.* — *Diſtinctio ſexus Galeni.* — *Sev. p. 165. & fol. 267.* — *Diſtinctio ſexus* … — *cauſa adſcribenda.* — *Subtilitas Galeniſtarum tempore motus fœtus excutitur.*

Animalia imperfecta, quæ ſine manifeſta ſeminis excretione generant, ut anguillæ, ranæ & inſecta ferè omnia mutuis amplexibus florem balſami in matrices & generationum diverſoria demittunt, ibi omnia abſolvunt generationi neceſſaria. Deinde ſemen illud fœcundum profundunt, craſſum quidem, lentum & externis injuriis reſiſtens, quod deinde beneficio caloris Solis excitatur, & ad agendum impellitur: tunc ſibi conſtituit Elementa talia vel talia, principia quoq; corporum adjungit, & mixtionis officia peragit, quibus peractis, generationem ſcientiæ ſpirituum mechanicorum reſpondentem abſolvit, abſolutamque exhibet. In piſcium genere cum fœmina ova depoſuerit, mas deinde illa ſemine ſuo conſpergit, quæcunque id attigerit, vitam aſſumunt, reliqua autem irrita, & ad maris calore deſtituta contabeſcunt. Eadem ratio generationis eſt volucrum, quæ ova ſua pro ſeminibus deponunt, deinde externo calore fovent, & pullos ſuos educunt. Differt autem ab hoc generationis modo generatio ex putrefactione, quam Philoſophi vocant generationem ex ſemine & ex putredine, qualis eſt murium & apum, quam Paracellus vocat generationem ex lagoſtro. Ita vermiculi in caſeis generantur, & erabrones in excrementis equorum. Quæ verò animalia cum diverſi generis animalibus congrediuntur & generant, ut equus & aſina, lupus & canis, de illis agemus in doctrina tranſplantationum. Hæc animalium generatione vegetabilium, quod illorum ſemina nec ſponte è terra proveniant, nec hominum induſtria & laboribus ſubmittantur, ſed matricem oportunam nacta ſemina perfectorum animalium ad generationem procedunt, ibique fœtum numeris omnibus abſolvunt.

Sev. p. 106. Generatio animalium imperfectorum. — *Fernel. lib. 7. de hominis procreatione.* — *Piſcium generatio.* — *Avium generatio.*

Demonſtratis nunc generationum & mixtionum legibus ac fundamentis: explicatis quoque initiis ſpiritualibus generationum, adductis modis & differentiis generationis vegetabilium, mineralium & animalium: ſupereſt, ut de Tranſplantatione, generationi ſuperveniente agamus, quæ accidit omnibus generationum ordinibus. Qui non præferunt rebus ignaris in Philoſophia & Medicina facem generationis & tranſplantationis, ſunt cœci cœcorum duces. Etenim tranſplantationis doctrina dextrè explicata & perſpicuè tractata, nobis aditum ad totam Philo-

Tranſplantationis doctrina. — *Utilitas hujus doctrinæ.*

Philoſophiam & Medicinam, non vulgarem, qualitatibus inſiſtentem, ſed philoſophicam, naturæ legi- „ bus fundatam, parat. Siquidem nemo rerum „ mortes ac diſſolutionem corporis & animæ intel- „ ligere poteſt, qui non hanc doctrinam planè co- „ gnitam atque perſpectam habeat. Si mortes re- „ rum non intellexerit, neque diſſolutionem corpo- „ ris & animæ, Medicus nunquam ad veram medi- „ camentorum præparationem perveniet. Quomo- „ do enim mortem à vita ſeparabit is, qui neque mor- „ tem novit? qui mortuis rebus vitæ officia tribuit? „ Quid dicam de morborum cognitione? qui hanc „ doctrinam qualitatibus abſolvunt, nunquam vi- „ debunt, quo modo mors in vitam irruat, quo pa- „ cto naturæ legibus accidat diſſolutio corporis & animæ.

Cognitio morborum.

Sed ut rem ipſam aggrediamur: dicimus, transplantationem eſſe generationis ſymptoma, non quidem in genere de omni transplantatione, intelligendum, ſed in ſpecie accipiendum. Enimvero transplantatio dupliciter conſideratur. 1. Aut hominum arbitriis ſubjecta eſt. 2. Aut à ſolo naturæ nutu dependet. Quæ hominum induſtriæ aut labori ſubjecta eſt, aut ſeminibus, aut inſitione perficitur. In hac transplantatione, ſive * ſeminibus, ſive inſitione peragatur, conſideranda ſunt tempora & loca. Tempora obſervare oportet in hac transplantatione manuum miniſterio peragenda, quia generationum definitæ ſunt periodi, in quibus impetus floris ſeminalis in plantis ac vegetabilibus apparent & conſpiciuntur. Niſi enim tempore hujus efflorescentiæ & impetus floris ſeminalis transplantentur, fruſtraneus erit omnis labor, irrita quoque generatio. Sic Semina quædam materialia plantarum efflorescentias ſuas & impetus floris ſeminalis habent, ineunte vere: alia in medio: alia ſub finem: quædam in æſtate, quædam in autumno. Eadem ratio eſt in arboribus, quæ etiam diverſa habent efflorescentiæ & impetus ſeminalis materiæ tempora. Mala cotonea, pruna, poſt brumam tempeſtivè transplantantur: ceraſi, amygdalæ circa brumam tempeſtivè, mora ante vernum æquinoctium.

Transplantatio duplex.

** ſcilicet materialibus.*

Sev. p 142.

Loca quoque opportuna in transplantationibus hominum arboribus ſubjectis adſint oportet, ſive inſitione, ſive ſemine adminiſtrentur. Niſi enim ſubjecta illa transplantationis matricem opportunam invenerint, irrita erit transplantatio. Ejuſmodi autem loca obſervare oportet in transplantationibus, quæ ipſa natura amat, in quibus ipſa natura ſponte tales vel tales generationes & fructus profert. Etenim non omnis fert omnia tellus. Quædam in apricis, quædam in umbroſis locis naſcuntur & proveniunt ſponte, quam naturam transplantata talia vel talia quoque obſervant. Bacchus amat colles. populus, ſalix, perſicaria, aquas, hermodactyli prata, ut hæc omnia explicavimus in generat. vegetabilium. Hanc primam transplantationis rationem in doctrina De Generat. morbor. tempeſtive accommodabimus.

Loca transplantationis.

Altera transplantationis ſpecies, quæ ex natura ſola procedit, ſeu quæ tincturis Elementorum potentioribus fit, neque hominum ſenſibus ſubjecta. Ad hanc transplantationem rectè intelligendam, radices rerum ſeu tincturas, qui tum generationi tum transplantationi inſerviunt, explicari oportet, quamvis à nullo unquam Philoſophorum, præſertim radices ſeu tincturæ transplantationem efficientes, explicatæ fuerint, ſed metaphoris, figuris, allegoriis illas adumbraverunt. Eæ autem duplices ſunt, Perfectæ ſive Primæ rerum radices ſunt, aſtra, ſemina, radices, transplantationis à Philoſophis Tincturæ Elementorum dictæ. Aſtra & radices generationis vitæ conditionem obtinuerunt, ſemina ſeu radices transplantationis mortis & diſſolutionis cauſam oſtendunt. Semina & aſtra generationis tum in Philoſophia, tum etiam in doctrina generationis rerum naturalium explicata ſunt. De aſtris, ſeminibus, radicibus transplantationis nunc agamus. Dicimus autem unamquamque generationem transplantatione ſupervenienite à dignitatis gradu deturbari & impediri, quo minus ſemina, aſtra, radices generationis dona ſua & ſcientias innatas explicare queant. Omnis enim generatio transplantata, non in melius, ſed deterius vergit, & omnis generationis transplantatæ (intellige transplantationem ſpecierum) virtutes proprietatis dona, multum labefactantur, ſupervenientibus impreſſionibus & concurrentibus aſtris transplantationis.

Altera transplantationis ſpecies quæ fit à natura.

Radices rerum duplices.

Aſtra generationis.

Sev. f. 216.

Generatio transplantata ſemper in pejus vergit.

Tincturæ Elementorum, aſtra, ſemina & radices transplantationis ſeu impreſſiones, quæ efficiunt transplantationem ſunt. Ens veneni, quod maximè conſpicitur & apparet in mineralibus, in Arſenico, Sulphure, Vitriolo, Mercurio Antimonio Saturno. In vegetabilibus in Urtics, Napello, Cicuta, Opio: Sed diligenter obſervandum eſt, transplantationem reſpecto tinctorarum eſſe duplicem, Univerſalem & Specialem. Univerſalis transplantatio eſt, quæ ad omnes res naturales ſimul pertingit, maledictione divina. Nihil enim in tota rerum natura ab hac transplantatione liberum exiſtit quin impuritates advenas, hoſpites, tincturas Elementorum, aſtra ſemina, radices transplantationis admiſtas & adjunctas habeat. Stellæ enim ipſæ, teſte Hibbo, non ſunt immunes ab hac transplantatione. Nec aurum, argentum, gemmæ ab hac transplantatione excipiuntur, quamvis ſanitatis anatomiam gerere videantur. Paracelſus in Chirurgia majore dicit: Solem natura ſua habere Realgar ſeu Ens veneni, quod realgar ab eo ſeparatur per Antimonium. Si enim Sol careret veneno vel Realgare, ut Paracelſus loquitur, Philoſophi Spagyrici, non tam ſeriò præciperent, ut ante præparationem auri potabilis corpus Solis à veneno & impuritatibus ſeparetur. Sic inter vegetabilia quodlibet corpus habet venenum, etiam illa quæ alimentoſa à Medicis nominantur, quod non artificiali ventriculi concoctione rectè ſeparatum, multorum graviſſimorum morborum cauſa exiſtit. Inde apud Paracelſum aliosque veros Medicos hoc ens veneni celebratur inter cætera morborum entia ferè nobiliſſimum. De quo ente veneni & morborum cauſa communiori fuſius agemus in doctrina de generatione morborum. Hæc generalis transplantatio ſpecialem quoque in ſe continet, reſpectu tincturarum, quæ in omnibus Elementis dominantur. Specialis transplantatio quoque duplex eſt. 1. Transplantatio individuorum 2. Specierum. Individuorum transplantatio eſt, in quibus externæ tantum ſignaturæ mutantur, ut colores, dolores, ſapores, magnitudines, figuræ: ita tamen intelligenda eſt hæc transplantatio, quod fiat non tincturis Elementorum ſupervenientibus, ſed ſeminibus, aſtris & radicibus, ejuſdem generis concurrentibus, ut ſi ſyſimbrium in mentham, rapam in raphanum, imperatoriam in angelicam transplantari contingat. Hæc transplantatio neque tincturis Elementorum ſeu Enti veneni adſcribenda eſt, ſed aſtro, ſemini, radici menthæ, raphani, Angelicæ, radicibus ſyſimbrii, rapæ, imperatoriæ ſupervenienti, perfecta mixtione individuorum. In hac enim transplantatione etiamnum manet imperium radicis, & ſuæ familiæ ſeu generis certa ſigna oſtendit, quamvis vehementer immutata. Talis quoque transplantatio eſt gemmarum generatio, quæ producuntur ex prima communique metallorum radice, ſupervenientibus ſeu concurrentibus

Radices transplantationis ſunt Ens veneni.

Arſenicum Sulphur, Vitriolum Mercurius, Antimonium, Saturnus.

Omnes creaturæ transplantationi obnoxia.

Lib. 2. c. 8 tractatus 3.

Realgar Solis.

Etiam alimentoſa ſuum venenum habent.

Duplex transplantatio ſpecialis.

Sev. p. 140.

In vegetabilibus, cum ſemina ſint plurima, in quib multorum individuorum (quæ ſenſu iudicio ſpecie quodammodo differre videntur) ſemina

& prædoſtinata dona conjunguntur, non mirum eſt, ſi levi momento in novas ſamilias tranſeant. Seu ſ 141. Sqq. ſ. 543.

bus aſtris, ſeminibus, radicibus validioribus gemmarum. Ita ex radicibus plumbi tranſplantatur Adamas; ex radicibus Lunæ Saphirus, ex radicibus Veneris Smaragdus, ex radice Martis Berillus, & conſequenter. Quæ ſupra dicta ſunt de aſtris, ſeminibus, radiribus tranſplantationis, ea nimirum mortis & diſſolutionis anatomiam oſtendere, non ſunt intelligenda de tranſplantatione individuorum, ſed de tranſplantatione generali & ſpecierum. Nihilominus tamen ad tranſplautationem individuorum refertur quoque tranſplantatio generalis: Impuritatibus enim ſeu Ente veneni nullum corpus naturale ſeu pror ſus ex quatuor Elementis caret. Ad hanc individuorum tranſplantationem pertinet quoque tranſplantatio perfectorum animalium. Supra enim dictum eſt, fœminam eſſe tranſplantatum maſculum. Nam in generatione perfectorum animalium, ſi aſtrum, ſemen, tinctura menſtrui concurrerit, validaque poteſtate prædita fuerit, univerſum ſemen proprietatibus & partibus menſtrui domeſticis donabitur: ſi verò aſtrum ſemen maris vicerit, maſculum produrit, ac maſculina membra.

Cauſa creationis maſculi & fœmellæ.

Cauſa generationis Hermaphroditorum.

Hic autem quæritur, quomodo generentur Hermaphroditi, maſculina & fœminina membra ſimul oſtendentes. Reſpondetur, quod ſi aſtra, ſemina tam maris quàm menſtrui in mechanico generationis proceſſu æque valida extiterint, generentur Hermaphroditi. Quod autem horum prædominatur, illius naturam induit, & nunc fœminea, nunc virili genitura abundat. Quæ verò tranſplantatio ex congreſſu diverſi generis animalium proficiſcitur, ſterilis plerunque exiſtit, neque fieri poteſt in his tranſplantatio, niſi eorum ſemina magna ſocietate conſpirent. Difficulter enim tranſplantationem animalia admittunt, quæ perfecta ſexuum diſtinctione ſeparata ſunt. Hue generatio mineralium quoque refertur, quæ quaſi comitem generationis tranſplantationem adjunctam habent, propter hermaphroditicam balſami naturam. Fructus ſuperioris globi huic tranſplantationi quoque ſunt obnoxii, idque ſi iiſdem temporibus ad maturitatem pervenerint, & radiorum ſocietate conſpiraverint, ut nix & pluviæ, fiuntque corporum ſolummodo in his tranſplantationes, ſcilicet alteratis fructibus corporum vehementia, frequentia, copia ac diuturnitate. Specierum tranſplantatio eſt, ubi non externæ ſolùm, verùm etiam internæ ſignaturæ, adeoque radix ipſa & prima materia mutatur. Hæc tranſplantatio procedit ex validiſſimis tincturis, & non tantum individuis rerum, hoc eſt, principiis corporum adhæret, ſed ipſam rei radicem occupavit, usque adeo, ut ſpecies nulla reliqua ſit in his generationibus, emendari poſſe tranſplantationes primas. Hujus tranſplantationis propriæ ſunt tincturæ Elementorum, nihilque à generali tranſplantatione rerum differt, niſi quod hæc validioribus fiat tincturis Elementorum, illa verò levioribus. Tranſplantatio ſpecierum & mutatio radicis apparet in lolio, zizania, in qua tranſplantatione prima materia radixque tritici tincturis Elementorum tranſplantata eſt in calamitoſam ſortem. Hue ſpectat quoque Antimonium, Marcaſitæ, auri & argenti, & alia his ſimilia.

Vt lupi & canis, Equi & aſini.


Tranſplantatio ſpecierum quid ſit, & ubi appareat.

In hac tamen tranſplantatione obſervandum eſt, tincturas illas Elementorum non omnino diſſentaneas eſſe à rebus quibus ſuperveniunt: ſed quodammodo cum his conſpirare, quamvis diſſolutionem moliantur, & vitæ varias inſidias ſtruant. Niſi enim affinitatem quandam habuerint cum rerum radicibus, aſtris, & prima materia, non miſcebatur: & ita planè deſtructus erit conſilium, non ſolum generationis, ſed & tranſplantationis.

Finis Partis Prioris.

Huc referatur Tabula ſequens.

HOMO Microcosmus ex Macrocosmo & secundùm Macrocosmum creatus, non solùm sanitatis Anatomiam in se continet, sed etiam morborum & mortis.



Sunt autem in Homine morbi triplices, aut enim oriuntur EX

- I. Igne & Aere. — Hæc duo Elementa generant & inficiunt spiritum hominia; Unde sunt morbi in homine quoa Epidemios vocamus, sive Astrales. — De his vide Libros Theophrasti de morbis astralibus. Item de morbis invisihilibus, Item de morbo caduco, & de Meteoris. Ista pars vocatur Astronomia.
- II. Aqua & Terra. — Hæc duo Elementa constituunt & causantur Tartarum, & omnes morbos Tartareos in homine, quorum permulti sunt. — De his lege libros Theophrasti De morbis Tartareis. Veteres Medici de his omnibus nihil scripserunt, neque sciverunt, aut ntiqne non multum.
- III. Ente seminis parentum. & illi continent in se quatuor CVRSVS.
  - I. Quatuor Cursus Elementorum unde morbi acuti,
  - II. Septem Cursus Planetarum, unde sunt morbi Chronici, qui durant quandiu Cursus illius Planetæ.
    - Saturnus dominatur in splene.
    - Jupiter in epate.
    - Mars in felle.
    - Sol in corde.
    - Venus in renibus.
    - Mercurius in pulmone.
    - Luna in cerebro.
  - III. Quatuor cursus humorum, unde sunt salia, & quidem diversi saporis.
    - Sangnis est sal falsus.
    - Phlegma est sal dulcis.
    - Bilis est sal amarus.
    - Melancholia est sal acidus.
    - Hæc vocant Galenici humores, cùm tamen sint salia, & quidem diversi saporis.
  - IV. Quatuor Cursus qualitatum, unde sunt complexiones
    - Calida humida.
    - Frigida humida.
    - Calida sicca.
    - Frigida sicca.
    - De hisce Galenus scripsit. Theophrastus verò ex lumine Naturæ invenit omnia principia constare in *Sale*, *Sulphure*, *Mercurio*. In his tribus tota substantia creaturarum omnium consistit, conservaturque ad terminum prædestinatum. Vide libros Theophrasti de Tribus principiis. Item libros Paramiricos. Item Philosophiam de quatuor Elementis, quæ omnia ex tribus Primis proveniunt.

TRA

TRACTATUS ALTER,

DE CAUSIS ET CURATIONE MORBORUM OMNIUM, ASTRALIUM & Materialium: seu, Morborum omnium Elementatorum & hæreditariorum ex libro Naturæ, Codice Philosophica & Medica veritatis, generalis & specialis Explicatio, additis veterum placitis, Hippocratis, Galeni, Celsi, & aliorum.

IN SPECIALI EXPLICATIONE MORBORUM AGITUR de Curationum mysteriis, Indiciorum compendiis, Remediorum arcanis:

ET PRIMUM GALENI ET ALIORUM VETERUM MEDICAMENta proferuntur: deinde Paracelsi, Turnheuseri, Quercetani, aliorumque Neotericorum & præstantium Philosophorum experientia demonstratur, medicamenta omnium Morborum ex Anatomia & Arte Signata tam simplicia quàm composita ostendendo.

OMNIUM MORBORUM ASTRALIUM ET MATERIALIUM, acutorum & Chronicorum, vera & Philosophica Explicatio.

CAPUT I.

De Morborum principiis.

Principia Philosophica Galeni.



ALENUS & alii, qui eum sequuntur, fundamenta Philosophiæ Elementa communia & qualitates sibi posuerunt: Medicinæ verò principia humores esse statuerunt. His jactis fundamentis & principiis Philosophiæ ac Medicinæ constitutis, viam ostendunt facilem compendiosè ad fastigia ducentem, sine magno labore & sudore. Verum de spiritu (astro) morborum apud Galenum & ejus sectatores altum est silentium, cujus tamen omnis potestas ac facultas, teste Hippocrate, ubi profitetur, omnes morbos tam astrales quàm materiales, tam acutos, quàm Chronicos, ἀπὸ πνευμάτων, spiritibus, flatibus, vaporibus proximè proficisci. Hic respiciendum est ad Philosophiam, in qua distinximus rerum universitatem in duos globos, superiorem, qui continet Ignem & Aerem: Inferiorem, qui complectitur Aquam & Terram, quo facilius spirituum naturam & proprietates investigare possimus, considerata Elementorum proprietate. Semina etiam & astra omnium Elementorum naturam & proprietatem matricum quadantenus æmulantur. Si primum ignem consideraverimus, deprehendemus Elementi cœli impressiones validissimas, & quoad agendi potestatem vehementissimas, nisi confluentia benigniorum temperentur. Elemento Ignis succedit Aqua, quam insequitur Aër; ultimum locum Terra sibi vendicat.

Sev. fol. 73. — *In Libro de Flatibus.* — *Causa morborum.* — *Notanda autem est (propter morbos materiales) spirituum reciproca natura: ex spiritibus scil. corpora producti, & rursus corpora in spiritus resolvi.* — *Natura & proprietas seminum*

(o)

CAPUT II.

De spiritibus & astris Elementorum.

ELEMENTA sunt duplicia, spiritualia duo, Ignis & Aër: duo corporalia, Aqua & Terra. Ex his componuntur, & in ea resolvuntur omnes res naturales. Ex his non solum vitam & esse hauriunt omnia, sed etiam ex illis nutrimentum accipiunt ad vitæ conservationem. Quamobrem rectè dictum est ab Hippocrate, Ex iisdem nutrimur, ex quibus constamus, non quidem actu sed potestate. Omne enim alimentum quod suppeditant nobis Elementa subjicitur spiritibus mechanicis nostris nostri corporis, à quibus in nostri balsami substantiam transmutatur. Nutrimentum verò duplex est, pro ratione Elementorum, spirituale & corporale. Spirituale alimentum nobis suppeditant Ignis & Aër: Corporale terra & aqua. * Hoc nutrimentum sive spirituale sive corporale sit, in se complectitur tria principia & animale balsamum: siquidem omnium Elementorum corpora constant Sale, Sulphure & Mercurio. Spiritus noster genuinus seu innatus calor seu vitalis balsamus spirituali utitur alimento cœlesti um aëreorumque seminum resolutiones & fructus magna necessitate continenter expetit. Et non solum refrigerationem & alterationem ex hoc alimento capit, sed etiam substantiam, corpus, nutrimentum, sibi tamen consentaneum. In doctrina transplantationis demonstravimus, omnibus Elementis & primis purisque rerum seminibus implantatas & permixtas esse tincturas & astra seu radices, transplantationum authores, qui dissolutionem corporis & animæ moliuntur, qui anatomiam morborum in rempublicam vitæ introducunt. Quicquid igitur vitam & alimentum ex Elementis haurit morbos, morborumque semina pariter accipit. Alimenta quidem omnia semina sunt, sed impuritatibus permixta. Ex his adductis colligimus, quatuor esse astra seu spiritus sanitatis in Elementis: sic quatuor quoque astra seu spiritus morborum in Elementis delitescere. Atque hæc in Macrocosmo. In Microcosmo quatuor quoque sunt astra sanitatis, & contra, quatuor morborum.

Elementa sunt duplicia. — *Vita, essentia & nutrimenta rerum unde.* — *Sev. fol. 153* — *Nutrimentum duplex* — ** quod beneficio spirituum mechanicorum spirituale redditur.* — *Sev. p. 275.* — *Sev. fol. 277.* — *Puris rerum radicibus tincturæ transplantationis sunt implantatæ.* — *Paracelsus Lib. 1. Paramiri de origine morb. ex tribus primis cap. 2.*

C A-

CAPUT III.

De astris visibilibus Firmamenti.

QUOD Astrologi dicunt, bonam & malam fortunam hominum à positu astrorum felici vel maligno pendere, nos hîc nihil moratur, & illorum scripta ac commenta de Nativitatibus & Astrologia divinatrice hoc loco nec rejicimus nec adprobamus, considerantes stellarum tam fixarum quàm errantium naturam, quo pacto vel modo inferiora foveant & conservent, qua ratione inferioribus perniciem adferant, & exitium moliuntur, astris & spiritibus morborum resolutis: Astra firmamenti, quæ corpora perfectissima obtinuerunt, & visibili specie repræsentantur, in cæteris quoque Elementis virtute & vitali potestate continentur. Etenim catenam Homeri auream & societatem invisibilis naturæ cum visibili ubique animadvertimus, & conspirationem astrorum tam sanitatis quàm morborum deprehendimus. In inferiori globo videmus Æthneum ignem & thermas seu aquas naturâ calentes. Eandem proprietatem in astris Firmamenti invenimus, & quidem tantò fortiorem, quantò major est differentia horum Elementorum. In inferiore globo videmus Crystallum & lapides naturâ frigidos; eadem proprietate prædita sunt quædam astra visibilia. Magnes habet virtutem attractivam: talis quoque virtus attractiva influentialis in multis stellis existit. Hæ autem operationes, stellarum non caliditati vel frigiditati adscribendæ sunt, sed in donis & scientiis principiorum, ex quibus constant, continentur. Ad astrorum visibilium officia quod attinet, à DEO creata sunt, in signa & tempora, non quod aliquid ad colorem, pulchritudinem, naturam proprietates hominis vel fructuum terræ & aquæ conferant, ut multi astrologi nugantur, sed ut Sol & astra sint quasi instrumentum digestionis, sicuti ignis materialis, & noster Vulcanus. Quippe sine astris visibilibus vivere non possumus, cùm calor & frigus & digestio rerum naturalium, seu maturitas rerum quibus utimur in cibo & potu, ab illis proficiscantur. Astra principalia visibilium septem sunt, Sol, Luna, Jupiter, Saturnus, Mars, Venus, Mercurius. Ita stellarum fixarum septem similiter sunt ordines, quorum unusquisque ad astrum principale refertur: ita ut stellæ aliæ sint Saturninæ, aliæ Joviales, aliæ Martiales, Solares, Mercuriales, Venereæ, Lunares, quæ digestis decretisque temporibus, fructus producunt sanitatis vel morborum nuntios.

Sev. pag. 52 & 53.

Astra vitali potestate singulis Elementis insunt.

Catena Homeri.

Sev. p. 57.

CAPUT IV.

De Ente Astrorum.

ENS est res seu substantia, quæ potestatem habet corpora nostra regere, transmutare & afficere. Horum entium Paracelsus quinque enumerat. I. Ens astri. II. Ens Veneni. III. Ens naturæ. IV. Ens spirituum. * Ens DEI. Hæc quinque Entia quinque morborum origines & causæ sunt; quarum unaquæque potestatem habet plenam atque perfectam omnes morbos procreandi. Sic juxta entia illa seu causas morborum quinque sunt genera pestis: quinque genera hydropis: quinque genera Ictericiæ: quinque genera febrium: & sic cujuslibet morbi quinque sunt genera respectu entium non unum cujuslibet morbi genus, ut falsò sibi hactenus persuaserunt, cùm unumquodque Ens omnes morbos procreare potens sit. At proinde, ut in inferiori globo terræ & aquæ fructus videmus, qui calculum, tartarum, arenam, podagram, tabem hydropisin generant: ita in superiore globo quædam astra ejusmodi proprietates, semina morborum & tincturas corrumpentes habent, & omnes morbos procreare possunt. Quod Hermes Trismegistus primæ & sacræ Philosophiæ Parens testatur, cùm dicit: Verum est, sine mendacio, certum & verissimum: Quod est inferius, est sicut id quod est superius: & quod est superius, est sicut id qood est inferius. Hoc Hermetis dictum non solùm intelligendum est de conspiratione harmonica, confluxu vel consensu primæ & incorruptæ naturæ, vel astris generationis in utroque globo: sed etiam de tincturarum supervenientium conspiratione & astris transplantationis idem sentiendum est. Spiritus sanctus hanc Hermeticam concordantiam superiorum & inferiorum tam primæ & perfectæ naturæ quàm corruptibilis & supervenientis per D. Joannem in Apocalypsi confirmat, ubi scriptum est: Stellam absynthii super aquas decidisse, & in perniciem hominum aquas amaritudine absynthii tinxisse. Proinde quemadmodum hæc stella absynthii & aliæ similibus proprietatibus insignitæ in sphæra superiore & astris firmamenti deprehenduntur: Ita etiam proprietates Arsenici, colocynthidis, esulæ, scammonii, & omnes reliquæ proprietates tincturarum supervenientium juxta sententiam Hermetis, & doctrinam Spiritus sancti in superiori globo & astris visibilibus inveniuntur, quæ in Sphæra inferiori corporibus implicatæ sunt: & felices Astronomi, Philosophi ac Medici utique essemus, si nobis Hermetica illa concordantia esset cognita, sic verè interpretari possemus, quod DEUS per Mosen dicit: UT SINT IN SIGNA: quod posthabita hac concordantia oculis cœcutientibus intuemur: siquidem multi Medici non credunt neque concedunt ex astris * tanquam causis universalibus, morborum omnium causas tam spiritualium quàm materialium, acutorum & Chronicorum ad nos defluere: cùm astra corpora sint tam pulchra, tam clara, pellucida, quæ certum cursum absolvunt. Exinde verò patet eos solùm scripta Ethnicorum legisse, & libri Naturæ magni, codicis Philosophicæ & Medicæ veritatis jacturam fecisse, neque Biblia, è quibus omnis sapientia velut jugi de fonte promanat, unquam inspexisse. Etenim si illa cum judicio legissent, in Hiobo expressis verbis scriptum deprehendissent, quod etiam astra & stellæ coram DEO non sint puræ, sed impuritatibus & tincturis supervenientibus contaminatæ. Quocirca sicut terra propter lapsum & prævaricationem Protoplasti, maledicta, & spinis ac tribulis referta: ita superiora simili modo spiritualiter acceperunt id, quod inferiora corporaliter exhibent. Quod Hermes & omnes Astrologi reales affirmant, experientia confirmat.

Quinque entia morborum.

** Id est Magicum.*

Quinque genera morborum.

Harmonia Naturæ tam incorruptæ tum corruptæ.

Apoc. 8. b.

Sev. fol. 279. & 280.

** quatuor Elementorum.*

Sev. 226.

CAPUT V.

De Ente veneni in astris visibilibus.

CUM autem in astris visibilibus firmamenti non solum forma tritici, sed etiam lolii: non solum auri & argenti, melissæ, rosæ, sed etiam arsenici, napelli, opii, naturæ & proprietates inveniantur, necessariò sequitur, ENS veneni in Ente astrorum contineri, quamvis hoc modo ab ente veneni inferiorum differat, quod in astris sit spirituale, in corporibus verò inferioribus corporaliter lateat. Nam Paracelsus scribit: Plura venena in terris non existere, quam in astris, quasi diceret, omnea venenorum species, quos fructus inferioris globi Aquæ & Terræ nobis ostendunt, ea omnes in astris firmamenti pariter continentur.

Differentia Entis veneni in globo superiori & infer.

De Ente astrorum cap. 3.

Venena, quæ in globo inferiori conspiciuntur, etiam in astris continentur.

tinentur. Ac proinde astris illis exaltatis, venenatis impuritatibus & feminibus resolutis, omnes morbos, quos inferiora Ente suo veneni generant, producere quoque possunt. Siquidem omnium morborum origo & causa est Ens veneni, & omnes morbi ex veneno generantur: quippe Medici firmiter sibi persuasum habent, omnes morbos tam spirituales quàm materiales ortus sui primordia adscribi enti veneni aut spirituali aut corporali. Ens enim veneni ad differentiam inferiorum aut superiorum rectè distinguitur in spirituale, quo ad superiora, & in corporale quoad inferiora. Dictum autem est in Philosophia, quod libet Elementum non in propria, sed in peregrina regione parturire, & fructus firmamenti in aëre absolvi. Sicut enim fructus sanitatis ex firmamento defluentes in aeris regione absolvuntur, ita quoque fructus morborum & mortis astra firmamenti in aëris gremium deponunt, ut ibidem perfectionem & terminum prædestinatum consequantur. Verùm. cùm aëris necessitas tanta sit omnibus animantibus, ut ne mumento illo carere possint, aerem infectum & veneno inquinatum non solum animantia bruta, sed & homines inspirando simul attrahunt. Alimentum enim Microcosmicum superioris globi invisibile & spirituale planè est. Hujus necessitatem inevitabilem Hippocrates ita exposuit: Spiritus necessitas mortalibus omnibus tanta est, ut quamvis aliis omnibus abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, possit tamen dies duos vel tres ducere: si cui verò spirituum meatus, per quos in corpus ingrediuntur, intercipiantur, momento uniua boræ moritur. Rursus à cæteris operibus feriantur homines: à spirandi verò functione nulla animalibus requies conceditur. Paracelsus aërem vocat mysterium magnum, sed propter analogiam tantum. Sub aëre enim aliud intelligit, videlicet astra aëris, quæ omnibus rebus vitam suppeditant. Etrurius rectè dictum est à Paracelso, omnia corpora, etiam elementa ipsa aere contineri, atque non aere solum, sed & fe-minibus & astris aereis. Alimenta enim & nutrimenta omnia semina sunt, sed impuritatibus permixta. Neque aer solum, quatenus Elementum, infici tur venenatis proprietatibus: sed mysterium illud magnum ex resolutione tincturarum venenosarum transplantatur & transmutatur, quod vitali balsamo alimentum debet. Ita hoc alimento assumpto, & mysterio magno transplantato, transmutatur & iosicitur quoque balsamus animalis & vitalis: unde sequitur corporis transplantatio in calamitosam sortem. Quamvis autem invisibile sit hoc alimentum, & signaturis exterioribus careat, * propriis tamen & interioribus non destituitur. Spiritus enim & resolutiones fructuum superioris globi, nec dulces nec acidæ, nec amaræ, nec austeræ, nec albæ nec nigræ existunt, odores fœdos sæpe admittunt. In hoc alimento triumphant quatuor qualitates. Perniciosæ verò resolutiones ex effectibus solùm deprehenduntur.

Ens veneni duplex. — *Necessitas aeris.* — *In libro de flatibus.* — *De Ente astrorum cap. 7.* — *Eod. ibid. Omnia Elementa aere continentur & sustentantur.* — *Ad Fernelium lib. 3. de morb causis c 13. de substantia vitæ. Transplantatio balsami vitalis.* — ** Ex quibus discrimina alimentorum inferioris globi ponuntur.*

CAPUT VI.

De differentiis stellarum, videlicet benignis, mediocribus, extremè noxiis.

Differentia stellarum.

Si inferiora sunt sicut superiora, quod Hermetis & Sp. Sancti testimonio confirmatum est: non omnes stellæ in Firmamento morborum & mortis anatomiam gerent, sed multæ invenientur, quarum resolutiones salutares existant. Nam in globo inferiori natura nobis ob oculos posuit argentum, aurum, gemmas, melissam, rosas, violas, betonicam, triticum, hordeum, vinum, lac, quibus tanquam domesticis alimentis spiritus vitales assiduè reficit. Deinde videmus herbas & simplicia medicamentosa, lactucam, cassiam, rhabarbarum, polypodium, acetum, agaricum, flammulam, persicariam, aron, & alia hujusmodi. Postremò quædam manifesta venena ostendunt, ut arsenicum, napellos, opium, cicuta, antimonium, vitriolum, mercurium, scammoneum, esula, colocyntbia, quæ omnia omnino pugnant cum humana natura, & præsentem intentant omnia mortem. Quemadmodum aut inferior globus tres ordines omnium fructuum terræ & aquæ, omnium rerum & specierum nobis exhibet, nimirum quod alii sint hominibus salutares, & ad lucis usuram necessarii, ut de tritico & vino dictum est: alii verò mediocres seu medicamentosi, ut de cassia, lactuca, polypodio, rhabarbaro dictum est: alii verò omnino contrarii humanæ naturæ, ut arsenicum, cicuta, napellus: ita quoque omnes stellas & astra in firmamento visibilia in tres classes distinguimus. I. Quædam astra seu stellæ sanitatis anatomiam gerunt, quarum resolutiones sunt necessariæ propter salutem animantium. Conditiones enim nutrimenti sinceras referunt, nec ulla proprietas venenata vel sensu vel effectu in his deprehenditur. Hæc astra respondent in globo inferiori, auro, argento, gemmis, melissæ, rosæ, tritico, vino, lacti. II. Quædam astra seu stellæ in exaltationibus & resolutionibus admixtas habent tincturas & proprietates medicamentosas, sed leviores, quæ singulis anni temporibus oriuntur, & frequentes existunt. Hæ stellæ in inferiori globo cum lactuca, cassia, arone, persicaria, agarico & hujusmodi aliis conveniunt. III. Quædam astra vel siderain resolutionibus feminum, venenatas omnino proprietates arsenici, auripigmenti, sulphuris, napelli, aconitorum manifestis effectuum testimoniis demonstrant. Hæc sidera in Sphæra inferiori cognata habent Mercurium. Antimonium, Arsenicum, Sulphurem, napellum, scammonium, esulam, colocynthidem &c. Ex his manifestum erit, omnes res naturales & fructus Elementorum, tam superioris quàm inferioris Sphæræ in tres classes distribui: In benigna 1. & naturæ humanæ amica: in mediocria, quæ medio 2. modo se habent. & in extremè noxia, quæ perniciem 3. & præsentem mortem repræsentant, seu fructus omnes Elementorum, & resolutiones seminum aut sunt alimentosæ, aut medicamentosæ, aut extremè noxiæ.

Sen. fol. 230. — *Fructuum inferioris globi diversitas in Alimenta & Medicamenta, & Venena.* — *Tres classes stellarum. I. Sanitatis autores seu alimentosa. II Medicamentosa. III. Venenata.*

CAPUT VII.

De differentia stellarum, quæ benigna, quæ malitiosa.

Quamvis non sit nostri instituti de stellarum differentia agere, & hoc loco illarum naturam & proprietates in specie explicare; cùm illud magis ad Astronomiam spectet, & ad Astrologum pertineat: tamen cùm ea cognitio stellarum hac in doctrina maximè requiratur, aliquid de ea breviter dicemus. Omnium autem primum nobis considerandum venit, qui Planetarum sint benigni, qui verò malitiosi, atque hoc pro ratione stellarum errantium. Ad fixas quod attinet stellas, ea in septem ordines distribuimus, in Cap. primo hujus tractatus, idque respectu Planetarum & dominorum, quibus fixæ quasi serviunt & famulantur, & naturam dominorum æmulantur. Ut autem benignitas & clementia, contra verò malitia Planetarum manifesta fiat, in duas classes distribuimus stellas errantes seu Planetas: in clementes sive benignos, & malitiosos. Benigni & clementes sunt. Sol

Divisio stellarum fixarum. — *Fixa Planetis subserviunt.* — *Planeta duplices.*

Sol Jupiter, Venna, Mercuriua. Malitiosi habentur Mars atque Saturnus Luna medio modo sebabet. Eadem ratione quoque explicanda sunt signa Zodiaci, quæ Planetæ seu stellæ erranies perlustrant, & pro natura hospitum hospitia ipsa seu domicilia amica vel suspecta reddun. Attamen in propriis domiciliis plerunque malitiam suam exercent: Ut, Saturnus in Aquario, Capricorno & Libra, quæ est domus exaltationis. Sic Mars in Ariete, Scorpio, & Capricorno, domo exaltationis. Illud autem observandum est, quatuor esse triplicitates stellarum signiferi, & cuilibet Planetæ tria signa attribui, quæ Planetæ pro sua qualitate bona vel maligna imbuunt. Rursum signa illa Zodiaci sunt duplicia, respectu Elementorum, alia ignea & aërea, alia verò aquea & terrea. Saturnus triplicitatem habet in igneis aereisque signis: Mars in aqueis & terreis. Sic Saturnus & Mars videntur totam rerum universitatem malignitate comprehendere. Nam Luna atque Venus, quæ aliàs inter benignos numerantur, quando in finibus Saturni vel Martis existit, malignitatis illorum particeps fit, bonam & amicam hominibus naturam exuit, & inferioribus inimicam & noxiam induit. Multum enim Saturnalia & nimium Martialia quæ sunt sidera seu astra, venena sunt, spiritui naturaliter inimica. Ita infortunatum dicimus & contrarium naturæ humanæ signum, seu Planetam per Saturnum aut Martem. nisi propria domicilia sint vel regna, quando videlicet vel ibi sunt, vel illuc aspiciunt opposito vel quadrato. Oppositum verò adspectum dicimus inter illa, quæ intervallo discrepant quàm longissimo. Quadratum verò ubi hoc ab illo quarta parte cœli, id est, signorum trium spatio distat. Martis tamen malitiam Veneris confluentia nonnihil mitigat. Ita Saturni malignitatem Jupiter temperat, & venenata ejus spicula retundit. Aspectus autem Martis vel Saturni ad Lunam ubique malus existit. Atque tantum de natura, proprietate, differentia stellarum errantium. Ad fixas quod attinet, & præcipuè signa Zodiaci, non omnia quidem venenatis proprietatibus manifestò insignita sunt, sed usus & experientia quatuor maximè observavit: Pisces, Aquarium, Scorpionem, Cancrum. Sunt quoque malevolæ stellæ Pleiades, Hyades, Piscium constellationes, quæ tincturas referunt narcoticas, somniferas, papaverinas, mandragoratas, sulphuratas, vitriolatas. Similiter Bootes, Ursa, Aquarii stellæ proprietates obtinent venenatas, sed leviores. Sic etiam Scorpionis, Cancri stellæ & Martialia sidera, sic quoque Saturnina spirituum Arsenicalium, Auripigmentalium, Antimonialium, sulphureorum proprietates venenatas, sed validiores obtinent. Harum stellarum orbitæ & resolutiones excitantur magnis Eclypsibus & Conjunctionibus. Hippocrates intempestivas & immoderatas siderum resolutiones, multis circumstantiis descripsit, hîc consulendus.

Planetæ perlustrant signa Zodiaci.

Signa Zodiaci duplicia.

Luna & Venus quandò malignæ fiant.

Oppositus quid.

Quadratus quid.

Experientia malignitatem quorundam signorum Zodiaci notavit. Sev fol. 278.

Consensus astrorum cum sublunaribus.

In libris Epidemiorum.

CAPUT VIII.

De impressione astrali.

CAPITE sexto stellas omnes seu astra in tres classes distribuimus, respectu inferiorum, scilicet benigna, mediocria, & extremè noxia. In capite septimo in duas classes astra & sidera per se considerata divisimus, & mediocria sub astris benignis comprehendimus, ratione transplantationis generalis, quæ ad omnia creata æqualiter pertingit inferioris & superioris Sphæræ. In præcedenti capite de speciali quoque transplantatione astrorum egimus, quæ nimirum astra præ cæteris malitia & venenata malignitate excellunt, quorum ortus & resolutiones Medico inprimis observandæ sunt. Omnes enim morbos, quos globus inferior generat, superior quoque producere potest. In interiori globo & fructibus Elementi terræ & aquæ, extremè noxia devitare possumus, quatenus nobis cognita, astralem verò impressionem & aerem infectum nequaquam effugere possumus, sed neglecto discrimine tam salutarem quàm noxium in spirando attrahimus, eoque ad necessitatem utimur, cùm sit invisibilis, & signaturis exterioribus destitutus. Propterea cùm constellatio, influentia seu impressio astralis ex cursu astrorum, vel infelici positu & contrario motu astrorum, seu adspectibus Planetarum orta & malevolæ stellæ fructuum resolutiones in aera dimiserint, alimentumque superioris sphæræ signaturis suis immutaverint, homines variis morbis obnoxii sunt, quorum regiones astra illa suis radiis feriunt, juxta proprietates astrorum venenatas. Cùm verò astra Martialia venenatis Arsenici propritatibus oriuntur, aut cùm Planetarum proprietates arsenicales seu Realgaria ex malevolo positu aut conjunctionibus suscitantur, pestis generatur cùm verò proprietates Saturni, ellebori, colocynthidis, scammonii, esulæ in aere dominantur, morbum dissolutum, ut dysenteriam, procreant. Quicquid enim radii horum astrorum attingunt, illud planè immutant, & nutrimentum superioris sphæræ venenatis proprietatibus imbuunt, quod homines in spirando attrahunt. Atque hæc est generatio pestis, dysenteriæ, maniæ, epilepsiæ, podagræ & omnium morborum astralium. Nam eadem ratio est astrorum mediocrium, seu medio modo habentium, quæ leviores producunt morbos, ut febres, catharros, horrores, dysurias, pandiculationes, pigritias, somnolentiam, difficultates respirandi, cum aliis.

Venena inferioris globi evitare quodammodo possumus, superioris globi non item.

Astrorum Martialium resolutiones, quos morbos pariant.

Morbi dissoluti ex tincturis Saturninis

CAPUT IX.

De anatomia morborum astralium.

HACTENUS omnes morbos astrales ex Ente veneni oriri demonstravimus: verum hîc forsan aliquis nobis objiciat: cum Ens veneni spiritualiter inspirando attrahitur, quare non totum corpus, sed pars ejus, non cor, sed alia quædam viscera principaliora ab Ente veneni transmutentur. Respondetur communi Philosophorum sententia, natura lætatur naturâ, & natura obviantem excipit naturam. Siquidem in homine omnes proprietates & astra cœli & terræ continentur, & ob hanc causam MICROCOSMUS vocatur: licet contrà multi dicant, tamen ratione effectuum similium, (ut etiam Libavius) negare non possunt. Et cùm non solùm malæ proprietates in homine, sed etiam bonæ, ut forma lolii in semine tritici delitescunt: ideò similia similibus congratulantur, & bonæ proprietates malis supervenientibus, iisque validioribus, succumbunt, ut forma tritici, supervenientibus lolii tincturis, & imperium malis concedunt. Hæ transplantationes frequentes sunt, tam in generatione, quàm in curatione morborum. Verum enimverò cum temperatura malarum proprietatum, & non qualitatum primarum aut secundarum (ex qua Galeni intemperies nata) excellit, & plus nutrimenti & inordinata aut mala diæta vel influentia astrorum accipit, naturales actiones membrorum læduntur, aut omnino extinguuntur: unde rectè dicitur: Quot membra tot mortes. Cum verò Medicus naturæ laboranti similibus remediis ex arte signata & anatomia physica petitis succurrit, illique

Exempli gratia cur in certis quibusdam locis pestis se manifestet, parotis circa aures, angina in collo.

Homo cur Microcosmus.

Curatio morborum legitima.

que opem fert, temperatura malarum proprietatum expellitur, & naturæ imperium restituitur. Atque hæc est vera & naturalis Theoria generationis atque curationis morborum. Ut autem ad instituti nostri rationem revertamur & anatomiam morborum astralium clarius exponamus, exemplo Dysenteriæ hanc anatomiam demonstrabimus. Venenum autem Dysenteriæ est naturæ polaris. Intestina verò hominis easdem proprietates habent: propterea intestina venenum illud recipiunt, & ita spiritibus & proprietatibus malignis conjungitur, unitur, quæ in substantia intestinorum delitescunt, ut forma lolii in tritico. Quæ proprietates intestinorum malignæ, confortatæ & validiores, reddita naturam è periodo evacuationum pellunt, donec post excretionem & ejectionem omnium excrementorum & humorum, fibris excoriantibus sanguinem, ramenta, & denique substantiam ipsam intestinorum expellant atque rejiciant. Sic cerebrum quoque suas habet stellas & astra, quæ si rectè habent in Macrocosmo, ipsum cerebrum quoque rectè habet: sin verò morbis resolutionibus aerem inquinaverint, illud easdem proprietates malignas admittit, & advenas ac hospites recipit ingratos. Quod non solùm de cerebro, sed etiam corde, epate, renibus, pulmonibus, liene, felle intelligendum est. Hæc est anatomia locorum & Planetarum, quæ Medico inprimis observanda & tenenda, de qua loquitur Paracelsus cap. 4. de duplici Anatomia. Summum ac præcipuum hoc esse in Medico duco, ut confluentiam anatomiæ probè intelligat, quo pacto loca & morbi inter se conveniant, non quia idcirco exteriorem Macrocosmi anatomiam fieri debeat, verum potius, ut per eandem in confluentiam deducatur.

Anatomia Dysenteriæ. *Venenum Dysenteriæ polale.* *Natura stomachi intestinorum.* *Anatomia locorum & Planetarum observanda.*

CAPUT X.

De Ente naturali.

MICROCOSMUS ex Macrocosmo, & juxta Macrocosmum creatus, secundùm quatuor Elementa cœlum & terram, aereni & aquam, quatuor terras, * quatuor ignes, quatuor aëres, quatuor aquas in se complectitur. At non solùm Elementa matrices & nutrices rerum, sed etiam omnes omnium Elementorum fructus & procreata: neque solùm Elementa & fructus, sed etiam omnia omnium Elementorum astra, quæ quadruplicia sunt respectu generationis & transplantationis. Si hoc ita est, quod nemo sana mente negabit, Firmamentum utriusque Sphæræ, Planetæ & omnes stellæ tam fixæ quàm errantes in homine quoque continentur. Quemadmodum autem in Astronomia Mundi majoris sæpius contingunt conjunctiones, Eclipses, oppositiones, quæ magna mala prænuntiant: ita quoque Eclipses magnæ, conjunctiones & aspectus in Astronomia Microcosmi ex transplantationibus temporum & confluentiarum prævaricationibus proveniunt, vitiatis harmoniæ legibus in firmamento Microcosmi, quas postea inevitabili necessitate sterilitates, marasmi, tabes, & alia multa mala certò insequuntur.

** omnia enim sunt in omnibus, Est enim ... terra, aqua terrestris, ... aqua cœlestis, ... Sec. fol. 45* *Ens naturale est firmamentum Microcosmi.*

CAPUT XI.

Quantum differant inter se firmamentum Macrocosmi & Microcosmi.

HOMO est Microcosmus, omnium creaturarum creatura perfectissima, Orientem habet in ore, Occasum in ano, Meridiem in umbilico, Septentrionem in dorso. Et sicut 4. cardinales venti in majori Mundo, ita in minori Mundo venti sunt in ipsis partibus. Vesica in Microcosmo est mare occidentale, in quod confluunt omnia flumina, in quo absumuntur, & in quo est sal superfluum resolutum. Vena cava in spina dorsi est in microcosmo mare mediterraneum. Concordantia & divisio Elementorum maximè perspicuè hic est, Elementum ignis in oculis apparet & conspicitur. Aër est in toto corpore, qui aer est spiritus arteriarum. Elementum aquæ est in aquæductibus h. e. in venis totius corporis humani. Elementum terræ est caro cum ossibus, quæ circumdantur ex omni parte aquosis rivulis. Sed quorsum ista? Elementa & fundamenta naturæ humanæ consentanea primum proponere, & magis nota præmittere placuit, ut ad ignota facilior pateret aditus. Nam in his Elementis semina & astra cœlestia, aerea, aquatica, terrestria foventur, quæ digestis decretisque temporibus fructus producunt sanitatis vel morborum nuntios. In his quoque fortiter agunt Planetæ omnes, & stellæ similiter Saturninæ Joviales, Martiales, Venereæ, Mercuriales, Solares, Lunares: non quidem corporaliter, sed spiritualiter. Spiritus cursum omnem absolvunt in humana astronomia, non corpora. Ab his enim Novilunia, exaltationes, conjunctiones, oppositiones, Eclipses & adspectus humanæ Astronomiæ perficiuntur. In Mundo majore quædam astra, fulmina, tonitrua, grandines, pluvias, calores, frigora, siccitates generant: illa in Microcosmo febres, epilepsias, hydropes, catharros, paralyses, apoplexias &c. producunt spiritualiter. Sic Cor & Sol, Cerebrum & Luna, Mercurius & Pulmones, Jupiter & Epar, Saturnus & Splen, Mars & Fel, inter se comparantur, non quoad corpus, sed quoad spiritus, non quoad Elementa, sed quo ad astra. Quæcunque igitur actiones in Macrocosmici Firmamenti corporibus absolvuntur: eæ omnes in firmamento Microcosmi spiritibus & vitali potestate perficiuntur.

Elegans anatomia. *Microcosmi situs & cum Macrocosmo convenientia.* *Elementa.* *Ignis.* *Aër.* *Aqua.* *Terra.* *Semina seminatu & morborum in Elementis foventur.* *Totus cursus in humana Astronomia absolvitur.* *Meteora Microcosmi.* *Quatenus Planetæ cum visceribus comparentur.*

CAPUT XII.

Quomodo in humana Astronomia errores contingant, & quomodo ex ente natura fiat ens morborum, seu ens veneni.

PARACELSUS in Paragrano sub titulo Astronomiæ fol. 50. dicit: Unum cœlum, unum cursum astrorum, unum quoque hominem esse. Quod cœlum est homo, homo est cœlum. Omnes autem homines, unum cœlum, & cœlum unus tantum homo. Nam juxta scientiam Cabalisticam, omnes homines unus homo, omnis anatomia una anatomia, omnes omnium hominum morbi unius tantum hominis morbi sunt. Hæc ubique vera in omnibus orbis partibus in Asia, Europa, Italia, Germania. Ita solidum ac firmum firmamentum atque fundamentum nostræ artis ponimus non super arenam, sed super saxum vivum. Hujus cœli cognitionem accuratam & exquisitam quilibet, qui Medicinæ titulum sibi vendicat, comparare debet. At hujus cœli cognitio quid est, nisi cognitio astri? Qui igitur cognitionem cœli & astri consecutus est, is triumphale nomen Medici veri promeruit. Cœlum autem est internum & externum. Internum considerat Medicus, externum Astrologus. Internum firmamentum seu cœlum unum quidem est essentiâ, sed divisum specie. Spiritus enim DOMINI, qui lucem à tene-

Cœlum duplex. Internum & Externum.

tenebris separavit, qui cœlum & terram Verbo omnipotente creavit, tam inferius quàm superius cœlum seu firmamentum in homine quoque constituit, utrinque tamen servatâ analogiâ. Inferius cœlum, seu firmamentum est corporale, quod fructus aquæ in gremio terræ ad maturitatem producit: illud autem est liquor vitæ, * conservans corpus à destructione & corruptione. Superius verò cœlum in Microcosmo, non substantia, non corpore, sed spiritu, virtute, & vitali tantum potestate agit, uti capite 11. diximus. Nihilominus superius ab inferiori nutritur & conservatur. Nam cœlum magnum seu spiritus vitales Mechanicique hoc firmamentum seu cœlum inferius in horas consumunt: assidua proinde opus est restitutione, mixtione compositione. Rectissimeque ab Hippocrate dictum, Conservationem nutritione continuari. Dicuntur autem ea majora philosophico more, quæ validioribus impressionibus & tincturis antecellunt: debiliora, quæ mixtione & mutua radiorum conspiratione succumbunt potentiorum arbitriis, separationes, alterationes, & transmutationes suarum partium, concedentes. Sic mutua utriusque firmamenti seu cœli conspiratione, familiaritate, nutricatione totius naturæ fœcunditas stabilitur: impressionum reciprocea vicissitudine nexus sanitatis conservatur. Horum legibus vitiatis, sterilitates, defectus & morbi gravissimi in anatomia humana sequuntur. Quemadmodum in mundana Astronomia videmus ortus astrorum certis temporibus, fructuum tempestivis resolutionibus anni salubritatem tueri. Nunc pluviarum stellæ commodius resolvuntur, nunc ventorum, aliàs serenitatis, caloris, interdum frigoris, nivis, pruinæ, roris, aliàs Zephyrorum genialis defluxus desideratur. Et in terrestri Astronomia nunc rosæ, violæ, narcissi germinant, nunc legumina, frumenta, vites, arbores, & universæ Plantæ, singulæ suas periodos observant, nisi sterilitatis & morborum causæ intervenerint. Ita in humana astronomia astra superioris globi vitales spiritus cordis & cerebri, imbribus, serenitate, caloribus fœcundo totis ac Zephyrorum defluvio fructibusque similibus inferiorum Elementorum semina benignè irrigant, quibus silentibus, marasmi, tabes, sterilitates contingunt, utcunque alimentorum copia colliquescentes partes & ad cariem festinantes sublevare conentur ægroti. Rursus inferiora astra rosas, violas, melissas, Valerianas, vites, fruges, aurum, argentum, rubinos, sapphiros, continenter ex alimentis producunt, nisi specialitatis & morborum causæ intervenerint, non quod formarum * externas signaturas in homine demonstrent, (transplantatione enim externa vestimenta amiserunt) sed quia proprietates similes in spiritualibus corporibus humanæ anatomiæ domesticis producant, ex quibus superiora astra fomenta recipiunt, ac universa officiis & actionibus opportuna redduntur. Quomodo autem astra inferiora fructus sanitatis ex alimentis producent, si temperatura malarum proprietatum antecellat? si viscera nutritionis sint languida, imbecilla quo minus purum ab impuro, firmum ab invalido separare possint? Certè destructo ac corrupto cœlo inferiori, necessariò quoque corrumpitur & destruitur cœlum superius. Quomodo enim reddet id quod non accepit? quomodo dabit, quod non habet? Inde exhaustis & consumptis viribus, nutrimento cœlum superius destitutum dissolutionem molitur. Diximus enim temporum transplantationes, quid dicam temporum, sed fructuum & confluentiarum prævaricationes ejusmodi mala & calamitates infinitas, mortem denique ipsam in Rempubl. humanam introducunt. Sic ex ente naturæ procedit Ens veneni & morborum.

Differentia utriusque.

** id est humor primigenius.*

Necessitas nutritionis.

Sanitatis, & Morborum origo.

Sev. fol. 398

Causa tabis, marasmi, &c.

** id est, non quod corporaliter in homine delitescant. Sev fol. 319 & 328.*

Quomodo morbi introducantur, & ex Ente naturæ fiat Ens veneni.

Tom. VII.

CAPUT XIII.

De præservatione & curatione morborum astralium majoris & minoris Mundi.

AD præservationem morborum astralium requiritur primò impuritatum evacuatio remediis convenientibus. Siquidem in impuritatibus mucilaginosis varia semina morborum sæpe delitescunt, ac, si tales in corporibus continentur, impressiones astrales facile admittuntur. Cùm verò sanguis fuerit impurus, impuritas illa non venæ sectione tollenda est, sed diaphoreticis veris, ex anatomia physica * petitis, expellenda, non quidem, quòd una exhibitio sufficiat ad præservationem, sed singulis septimanis dosis una diaphoretici pro ratione temporis est assumenda. In curatione verò morborum epidemiorum inprimis respiciendum est ad Ens veneni, & maximè elaborandum, ut citò, nulla habita deliberatione venenum tollatur & expellatur remediis convenientibus. Nulla verò methodus melior vel præstantior inveniri potest, curandi astrales morbos, & Ens veneni citò expellendi, quam quæ fit per sudorem. In hac cura primas tenent diaphoretica seu sudorifera, quæ Ens veneni per sudores fortiter expellunt, & omnes fuligines ac spiritus venenatos tollunt & dissipant. Præcipuè verò adhibenda sunt diaphoretica, quæ ex astronomia & arte signata perita sunt, idque donec omne venenum sit ablatum. In horum morborum curatione Galenici cum ratione insaniunt, qui purgationes alvi obstinatè instituunt, cùm nullum adsit corpus Enti veneni sed spiritus. In morbis enim astralibus astralia quoque & spiritualia adhibenda sunt remedia. In curatione verò morborum, qui ortus sui primordia firmamento Microcosmi ascribunt, omnium primùm Medico cognoscenda atque tenenda est transplantatio, quæ in Philosophia dicitur Regeneratio. Exempli gratiâ: In hectica seu phthysi æger est sub imperio Saturni. In hujus morbi autem curatione perfecta, omni contentione est laborandum, quo Saturnus in Venerem transplantetur. Quamobrem Antimonium cura perfecta est in hectica & phthysi, quia Saturnum in Venerem transplantat. Hæc sunt curationum mysteria, remediorum arcana, indicationum compendia. Ita omnia astra in Microcosmo possunt transplantari, & humanæ naturæ amica reddi remediorum arcanis, & curationum remediis. Ita omnes morbi desperati ac deplorati transplantatione philosophica tolluntur, Morphæa, lepra, & omnes lepræ species. Medicamentorum verò processus quibus transplantatio seu regeneratio perficitur, comprehenditur in præparationibus Antimonii & aliorum.

Præservatio à morbis astralibus.

I. Impuritatum evacuatio.

II Diaphoretica

** scilicet Macrocosmi.*

Observatio in cura Epidemiorum.

De hoc videantur sequentis tractatus cap. 16 sub finem in curа phthysees.

Morbi desperati ex transplantatione.

CAPUT XIV.

De Ente veneni.

HACTENUS actum est de Astronomia majoris & minoris Mundi, & astris morborum Elementi cœli & aëris, morborum quoque astralium curatione. Nunc verò opportunum erit descendere ad Philosophiam & morbos inferioris globi Elementi aquæ & terræ ordine explicare. Omnes fructus & procreata inferioris globi Elementi terræ & aquæ venenum admixtum habent, non solum medicamentosa & extremè noxia, sed etiam ea, quod alimentosa à Medicis dicuntur. Quamobrem cùm alimentum sumimus ad conservationem & nutritionem corporis nostri, simul quoque venenum, quod alimento

Quælibet res suum quoddam venenum habet.

admixtum accipimus. Verùm si omnia rectè administrantur in oeconomia ventriculi, hoc venenum admixtione benigniorum temperatum, resolutum, & separatum expellitur, sin minus, hoc venenum in anatomia ventriculi manet, & multorum gravissimorum morborum causa existit. Nam Archeus ventriculi, si viribus & agendi potestate pollet, separat purum ab impuro, purum in tincturam transmutat, tincturam corpori pro alimento exhibet ad conservationem vitæ & magni cœli in Microcosmo. Cùm verò hic Spagyrus officio suo dignum non facit, & nec naturali nec artificiali ventriculi concoctione hoc venenum ab alimento separatur, venenum illud & alimentum conspirant, quàm conspirationem sequitur putrefactio & digestio, digestionem corruptio, quæ mater est omnium morborum.

Officium Archei ventriculi.

Sev. fol. 208.

CAPUT XV.

Quid sit Ens veneni.

ENS veneni quod omnibus alimentis inest impuritas mucilaginosa & tartarea est, quæ in se non habet virtutem expulsivam, sed potius stipticam, aluminosam, astringentem. Stomachus, ubi ad se recipit comesta & ingesta, statim separat purum ab impuro. Purum nutrimentum est, si fortis ventriculus. Purum transit ad membra nutrimenti causâ, impurum per secessum exit. Si ventriculus debilis, mittit impurum etiam ad Epar, ibi quoque separatio fit. Si Epar forte, rectè separat, & simul mittit mucilaginosum cum urina ad renes. Si hic bona separatio rectè, si non, hic muccilaginosum & lapideum illud remanet & coagulatur in arenam, quæ vocatur Tartarus. Origo autem & fons hujus mali sedulò observari debet, unde multi & magni Sphæræ inferioris morbi fluunt. Fons & origo ventriculus est, qui proprietates habet trium principiorum confluentes cuus spiritibus muccilaginis tartareæ, stipticæ, aluminosæ, acetosæ. Itaque cæteris causis concurrentibus, ex quibus actio seu liturgia facultatum humani corporis impediri solet, ut assumendorum, faciendorum extrinsecus incidentium * præpostero usu separationes & expulsiones tartarearum fæcum in ventriculo & intestinis non absolventur. Consumtoque sulphure fœtido seu stercore humano vel seorsum evacuato, muccilaginosa impuritas opportunitatem nacta radices collocabit in ventriculo & intestinis: quibus radicibus positis spiritus, qui in anatomia intestinorum naturali vigent, & qui in excremento mucilaginoso sedem habent, obstructionem & constipationem alvi producent, & continuitatem & retentionem excrementorum molientur. Radicibus hisce primum positis continua nutricatione incrementa sument, licet errores non tam manifesti in diæta postmodum contingant, donec digestis temporibus absolutis paroxysmos generationum comites ostendant. Ita inquinatis spiritibus mechanicis ventriculi aluminosis & stipticis tincturis ad motiones naturales omnesque alterationes, separationes, resolutiones, digestiones, inepti redduntur. Proinde tarda concoctionum ministeria absolvunt. Hinc cruditates, ructus, inflationes, gravitates, pigritiæ, somnolentiæ post cibum, * mediæ intolerantia & alia hujusmodi mala proveniunt. Vitiata verò liturgia ventriculi, reliqua reservacula, † instrumenta emunctoria separationis & digestionis sensim quoque corrumpuntur & transplantantur, ut loquitur Paracelsus in Tractatu de Ente veneni.

Officium stomachi.

Ventriculi proprietates.

• id est, quorum extrinsecus accidentium & sinistre laedere possunt: ut balnea, cauteria, contusiones, Venus, &c. Spiritus Naturæ & rei.

• Digestionis exitatu vaporibus tartareis, sulphureis, narcoticis

† membra nutritioni inservientia.

CAPUT XVI.

Quid sit Tartarus, quæ ejus species, quæ excrementa.

DICTUM est, Ens veneni inferioris Sphæræ esse Tartarum, qui in se comprehendit quatuor species: Calculum, arenam, bolum, viscum. Hic Tartarus est excrementum rerum naturalium, quod suis spiritibus in homine coagulatur, oisi aliorum excrementorum mixtione expellatur. Duplicia autem sunt excrementa. I. Excrementum hominis. II. Rerum naturalium. Hominis excrementum est Sulphur impurum & fœtidum, quod per alvum excernitur, & fæces alvi nominantur. Rerum verò naturalium est mucilaginosa & tartarea materia à Paracelso Sal rei dicta, quæ nisi sulphuri impuro & fœtido admixta expellatur, in calculum, arenam, bolum vel viscum coagulatur. Hunc autem excrementum rerum naturalium Archeus ventriculi omnino separare non potest, cùm alimentis profundis adhæreat, sed subtilioribus mechanicis subjicitur, scilicet mesaraicarum, hepatis, renum, vesicæ, intestinorum. Si mechanicorum membrorum fortiter separaverint excrementum illud rerum naturalium, salva ubique erit liturgia corporis: Cùm verò errores contigerint in separatione, nec exquisita fuerit vaporosa substantia per totum corpus unà cum alimento * distribuetur, & non solùm in languine, carne, sed etiam medulla & aliis locis remotioribus loca inveniet, ubi radices agat.

De morbis tartareis, eorum causis & cura, vide pulcherrimũ Tractatum Paracelsi de morbis exTartaro, tomo 4. Operum. Lib. de tribus principiis, cap. 2. Sal rei.

• cui profundius barent.

CAPUT XVII.

De excrementis trium primarum.

SÆPIUS dictum est, alimenta omnia esse semina, sed impuritatibus permixta. Hæc semina continentur in tribus principiis, quæ sua habent excrementa. Est enim Sulphur excrementum pingue, fuliginosum: Sali terra absurda: Mercurio phlegma. Hinc inde varii morbi pro diversitate locorum in corpore humano generantur, si à mechanicis, viscerum nutritioni inservientium non rectè separantur, nec per loca seu emunctoria consueta expelluntur. Cùm itaque in corpore manent ejusmodi impuritates trium principiorum, favore locorum destituta errant, quia ignoti sunt hospites, locumque in diversorio non inveniunt. Ea enim se proprietas vitalium Elementorum vel sepulchrum, ut in suis regionibus nihil alieni vel dissentanei ferre possint, sed omnia collectis viribus à se expellunt. Quod si conjugium stabile invenerint, harum impuritatum tincturæ cum spiritibus mechanicis ventriculi, mixtione in secundam transplantationem desinente, relicta gubernatione innati balsami, & propriis officiis neglectis morbidos transplantationis fructus assiduè proferent, nec ulla naturæ vel ionaribalsami industria tales affectus extirpari possunt, nisi artis ministerio externus balsamus interno opem ferat: Validiores enim fuot spiritus transplantationum autores, quàm innati.

CAPUT XVIII.

De duplici Tartaro, cibi nimirum & potus, quæ ejus differentia, quantum in curatione afferat.

Tartarus duplex.

INPRIMIS observandum est, Tartarum esse duplicem: Unus qui ex potu, alter qui ex cibo provenit, curatu facilior: qui verò ex potu curatu perquam difficilis existit. Sed multi cibi reperiuntur, qui dum nutriunt, potus vicem quoque obtinent. Sic quoque potus sunt, qui dum sitim restringunt, quasi cibus nutriunt. Ex his autem una tantùm generatio Tartari provenit, non duo genera, quamvis ex commixtione cibi & potus fuit generatio, tamen ex illa commixtione unum tantùm genus provenit. Quod deinde separatur in suas species, & naturam Tartari servat, vel qui ex cibo, vel qui ex potu generari solet. De Tartaro cibi hoc notandum: omne excrementum ventriculi transit per intestina, in quo transitu aliquando longius commoratur. Tum Tartarus ille qui in bona separatione sulphuri impuro & fœtido permiscetur, cum spiritibus intestinorum conjugium init constans, illisque adhæret. Deinde infinitos producit morbos, colicæ species ferè omnes, tormenta in superiore & inferiore ventriculo, obstructiones alui, morbos quoque dissolutos. Atque hæc de Tartaro cibi, ad cujus pleniorem intellectum caput xv. legendum. De Tartaro potus nunc agamus. Extra fines sive regionem ventriculi separatur urina primum à nutrimento, quod ita intelligendum: Epar nutrimentum ad se attrahit, & in illa attractione separatur urina à nutrimento in venis mesaraicis. Cùm autem transit permeatus illos cruda adhuc, venas mesaraicas & poros, item alias vias per quas transit, obstruit, unde multæ oppilationes & punctiones oriuntur, quæ sanguini adscribuntur, sed falsò. Sæpe quoque accidere solet, ut propter copiam & coacervationem tartari nutrimentum ad epar transire nequeat, obstructis venis mesaraicis. Cùm hoc fit, nutrimentum manet in ventriculo, sequuntur vomitiones, cibi nauseæ, aridura (species phtyseos,) paroxysmus calculi, qui accedu frigore & calore, ut etiam in peste, pleuresi & similibus morbis. Inde Erysipelas ut plurimum originem trahit. Eadem generatio tartari ex urina in epate. Urina enim nihil aliud est quàm Sal resolutum. Sic Epar mater fit multorum morborum, nobile membrum multis, imò ferè omnibus corporis partibus inserviens, cùm illud patitur, omnia membra compatiuntur, & in consensum trahuntur. Hic hydropis, hic febres, hic Erysipela nascuntur. Quemadmodum autem fructus arborum, ut pyra, in Majo produeuntur, in autumno verò demum ad maturitatem perveniunt: ita quoque Tartarus sua ortus & maturitatis tempora habet. Ita in ureteribus & meatibus urinatüs ab Epate ad vesicam multò acriores, duriores, & fortiores Tartari generantur, quàm in ventriculo, mesaraicis, hepate. Enimverò in illis viis primò elaboratur, quæ in Epate cruda adbuc & indigesta erat, elaborata jam & digesta subtiliorem tartarum producit, graviores morbos & curatu difficiles parit: subtilitas enim potestatis autor est.

Tartarus cibi generat colicam, tormena, obstructiones.

Punctiones ex obstructione.

Causa Erysipelatis.

Tartari curatio est, ut solvatur, reducatur in primam materiam, & hoc modo expellatur.

CAPUT XIX.

De Tartaro in principalioribus membris.

Vide Quercet. de med. Prisc fol. 327.

TARTARUS in membris principalioribus non ex tartaro urinæ vel excremento ventriculi generatur, sed ex peregrino, qui in loco illo nascitur.

Tom. VII.

Quamvis autem ex cibo proveniat, non tamen generatur ab excrementis. Omnia membra & omnes partes corporis assidua indigent nutritione & conservatione. Omnis autem pars corporis proprium habet ventriculum, qui separat à nutrimento impurum & tincturas supervenientes. Ventriculus quidem propriè dictus seu Oeconomus totius corporis impurum à puro separat, & separatione toti corpori inservit, & omnibus partibus.

Illa verò separatio ventriculi generalis non sufficit partibus nutriendis, sed accedat oportet particularis separatio, ita ut quilibet ventriculus cujuslibet partis nutrimentum magis elaboret, & exquisitius separet. Illud verò impurum, quod separatur excrementum quoque est, & varia habet emunctoria. Pulmones per sputum, cerebrum per nares, splen per venas, vel per ventriculum propriè dictum, renes per urinam cor per chaos expirando fuligines excrementum rejicit. Ex illu autem excremento principalium membrorum generatur quoque tartarus, & ut subtilissima sunt excrementa principalium membrorum, ita quoque tartarus subtilissimus est, & per omnia respondet tam nutrimento quàm excremento. Corpus enim tartari, quod cum nutrimento velut ad membra principalia, est volatile, & vaporosam exhibet substantiam. Id quoque tenendum est, mechanicos spiritus membrorum seu Archeos partium corporis multum inter se differre. Mechanici epatis multum differunt ab Archeo ventriculi: Archeus cerebri & cordis multum ab Archeo epatis, subtilitate & potestate. Propterea excrementa volatilia membrorum subterfugiunt mechanicos ventriculi, epatis, & subtilioribus ac potentioribus subjiciuntur. Etsi verò tartarus in membris principibus sit exiguus, potestate tamen magnus.

Varia excrementorum emunctoria.

Differentia mechanicorum in partib. corporis.

CAPUT XX.

De Tartaro pulmonum cerebri, renum, cordis, fellis, splenis.

ARTERIÆ sunt ventriculus pulmonum, in quibus elaboratur nutrimentum pulmonum, & separatur purum ab impuro, quam separationem ventriculus propriè dictus perficere nequit, sed propris est pulmonum. Quapropter excrementum quoque in cannis pulmonum reperitur, quod manifestè differt ab excrementis reliquarum partium, in quo tartarus quoque delitescit. Tartarus enim iste cum excremento pulmonum ejici debet. Sin minus ab excremento separatur & adhæret cannis pulmonum. Is autem subtilitate antecellit tartarum intestinorum, & qui in meatibus urinæ continetur, eò quod ex volatilitate & spiritualitate in corpoream substantiam mutatus. Officium pulmonum erat aërem & spiritum attrahere, spiritum arteriis convenientem elaborare, iisque pro nutrimento exhibere. Cùm verò tartarus cannis adhæret, impeditur, quominus actiones suas, ut debebat obire possit. Hinc multi generantur morbi, asthma, tussis, impedimentum anhelitus seu difficultas spirandi, phthisis, hectica febris, & alii, qui omnes generantur ex tartaro pulmonum. Cerebrum quoque proprium habet ventriculum, in quo spiritus mechanici attractionum, retentionum, separationum, coagulationum, digestionum, distributionum, expulsionum autores. Quemadmodum autem ventriculus propriè dictus, corruptor ac destructor est omnium membrorum, quatenus non dignum facit suo officio: ita etiam imbecillitas ventriculorum in membris vel partibus multorum gravissimorum morborum mater est, cujus antiqui nunquam fecerunt mentionem, propterea multum est, nosse spiritum, à quo

Ventriculus pulmonum.

Pulmonis officium.

Affectus pulmonici.

omnes actiones ventriculorum procedunt: si is infirmus fuerit, ipsa quoque membra infirma corrumpuntur, & denique pereunt. Cùm autem nutrimentum pervenit ad ventriculum cerebri, Archeus cerebri separat purum ab impuro, purum pro nutrimento cerebro exhibet, impurum verò per emunctoria, nares scilicet expellit: ita extra cerebrum in regione ventriculi tartarus generatur, unde phrenesis, mania, & aliæ species vesaniæ, quos morbos antiqui sanguini & aliis humoribus ascripserunt. Eadem generatio est calculi & arenæ in renibus. Cor suum quoque nutrimentum attrahit, & separat purum ab impuro, excrementum in quo tartarus delitescit. Cor delitescit in sua capsula, per quam expellit excrementum. Illud verò ut nutrimentum cordis est subtilissimum. Excrementum simile est aquæ guttæ pellucidæ. Cùm verò tartarus in capsula cordis per spiritum salis coagulatur, jam adest generatio tartari, ex qua generatione tartari, seu tartaro generato in pericardio multi morbi oriuntur: cardiaca, tremor cordis, & alii, quos Galenici perperam adscribunt humoribus melancholiæ, choleræ. In felle quoque ut in aliis membrorum excrementis tartarus reperitur, & materia lapidum. Si ab excremento separatur, & non expellitur, generatur tartarus in felle. Ex quo compressiones, vomitiones, colicæ passiones, suffusiones bilis ortum trahunt. In cura horum morborum maximè respiciendum est ad tartarum & lapillos, ut dissolvantur, reducantur & consumantur, non ad bilem flavam vel vitellinam. Omnes enim morbi fellis ferè ex tartaro proveniunt & generantur. Tartarus enim seu lapilli in felle bilem expellunt & ejiciunt in ventriculum vel intestina, aliquando in epar, unde Ictericiæ species. Nam omnis Ictericia quæ non tollitur medicamentis ex familia vegetabilium desumptis, appropriatis tamen & convenientibus, illa familiaritatem habet cum tartaro, & nisi tartarus dissolutus & reductus fuerit, omnis salus desperata erit. Paroxysmus calculi contracturas, putrefactiones, colicas, alia efficit. Ita quoque paroxysmus tartari seu lapidis in vesica fellis ictericiam; dolores colicæ, contracturas, compressiones præcordiorum, vomitiones, imbecillitatem ventriculi secum adducit.

Affectus cerebri. Calculus renum. Coagulatio Tartari à spiritu salis. Tartarus vesica biliaria. Cura.

Ita in splene & regione ventriculi ejus generatur Tartarus, qui generat oppilationes seu obstructiones quartanam. Hac ratione Galenici quartanam dicunt incurabilem, quia nesciunt tartarum, sed causam ejus melancholiam, seu choleram adustam esse statuunt, eamque per alvum frustra expellere conantur, manente tartaro.

Tartarus lienis.

CAPUT XXI.

De Tartaro sanguinis, carnis, medullæ.

Ventriculi partium.

IN sanguine, carne, medulla ventriculi sunt, & in omnibus corporis partibus, quæ nutriuntur. Ubi autem est ventriculus, ibi quoque ignis digestionis, & separatio puri ab impuro: ubi separatio impuritatis à pura substantia, ibi quoque est excrementum: ubi verò excrementum, ibi quoque tartarus solus, vel cum aliis excrementis commixtus. Nam per totam anatomiam corporis in omnibus partibus excrementum dupliciter consideratur, aut est sulphur, aut est sal. In omni cibo enim tria considerantur: Mercurius, nutrimentum: Sulphur, quod per alvum excernitur: Sal, quod per urinam expellitur. Quemadmodum autem excrementa illa primò sunt corporalia, ita reliquarum partium excrementa sunt volatilia & spiritualia. Post separationem enim ventriculi in qualibet parte spiritualia & volatilia excrementa in corpoream coagulationem desinunt, & ubique ratum & constans est decretum Philosophorum: naturam corporum & spirituum esse reciprocum: corpora in spiritus resolvuntur, & spiritus in corpora transmutantur. Ac proinde sanguis, caro, medulla suum habent ventriculum & digestionem, separationem, excrementum & tartarum. Excrementum sanguinis natura per sudores, excrementum carnis per urinam, unde urina cruoris apud Paracelsum, excrementum medullarum consumit siccitas ossium. Nutrimenta sanguinis, medullæ, carnis sunt planè spiritualis, invisibilia: excrementa verò visibilia, attamen subtilissima omnium partium in toto corpore. In attractione nutrimenti sanguinis excrementum quoque & tartarus erat invisibilis & spiritualis, ut in spiritu vini destillato & circulato: sed digestione exquisitissima sanguinis etiam spiritualia & volatilia, quatenus sunt excrementa, sive sulphur sive sal separat. Idcirco tartarus sanguinis subtilis est: coagulatur autem à spiritu salis, & per eundem resolvitur & reducitur. Duplex enim est tartarus sanguinis, carnis & medullæ, aut coagulatus, aut resolutus. Tartarus generatur ex Elemento aquæ, sive è cibo sive è potu oriatur, propterea coagulationi & resolutioni obnoxius. Cùm excrementum tartari è venia non expellitur, concrescit in grana arenæ vel orizæ similia: ita extra venas & poros ejusmodi grana tartari generantur, licet magis ad resolutionem inclinent, tamen si diutius maneant sub potestate spiritus salis, in corpoream coagulationem desinunt & concrescant. Mucus seu pituita sanguinis est excrementum ejus, si mucus ille crassior per sudorem non evacuatur, tartarus cum muco illo seu sulphure conjugium init, quo initio uniuntur: cum hoc fit, non amplius generatur Tartarus, sed stercus & excrementum, in quo delitescit tartarus. Ea inde morbi permixti generantur. Nam illud excrementum & sulphur putrefacit, ex qua putrefactione synochus putrida aliæque inflammationes generantur. Hoc autem notandum est, excrementum sanguinis sulphure cum tartaro commixtum per sudores expelli; sive propter debilitatem spiritus seu ventriculi, sanguinis sulphur tantum expellitur, sal verò seu tartarus altera excrementi species manet, & infinitos morbos, sive sit resoluta, sive coagulata, parit. Sanguis in majori Mundo nil aliud est quàm lignum, infinitæ verò species sunt ligni: infinitæ igitur species sanguinis: & quàm varii sunt fructus arborum, tam variæ quoque ægritudines sanguinis existunt. Alio loco dicit, sanguinem esse Elementum aquæ. Quot autem fructus vel procreata Elementi aquæ in Macrocosmo, tot etiam morbi in sanguine Microcosmi deprehenduntur.

Emunctoria excrementi sanguinis. Excrementum carnis Vide fol. seq. Duplex tartarus, coagulatus & resolutus. Vide lib. de morbis tartareis, cap. 10. Morbi mixti. Sere fol. 232. Vt loquitur Paracelsus in Paragraph. de Philosophia fol. 27.

CAPUT XXII.

De Tartaro carnis.

LIQUOR carnis est ventriculus carnis, in quo separantur excrementa à liquore carnis & nutrimento ejus. Si exquisita fuerit separatio, excrementa deferuntur ad venulas, poros vesicæ, & unà cum urina expelluntur. Verùm quando concurrunt duo excrementa, carnis scilicet aut ejus liquoris & nutrimenti, tunc generatur calculus in vesica & renibus, dicitur autem calculi generatio ex urina cruoris, & non solum in vesica & renibus, sed etiam in aliis corporis partibus ejusmodi lapilli generantur, unde sæpius oppilationes & chronici morbi varii in coxendicibus,

Excrementa carnis ad vesicam deferuntur, vide fol. praeced. Calculus ex urina cruoris. Morbi chronici & impacti ex Tartaro carnis.

dicibus, dorso, lumbis, lateribus aut aliis partibus dependent. Hæc vehementissima sunt genera Tartari seu lapidis, qui lapides proveniunt ex cruore. Majores enim sunt & duriores, plures paroxysmorum accessiones habent, quàm ii, qui ex urina simpliciter dicta proficiscuntur.

CAPUT XXIII.

Ventriculus medullæ.

De Tartaro medullarum.

Tartarus medullæ cur non coagulatur.

LIQUOR medullæ est ventriculus medullæ, hic liquor est pinguedo, liquor verò carnis est aqua tenuis. Ventriculus medullæ ignem habet digestionis, quoad vitæ usuram necessaria sibi fabricare & elaborare potest. In aliis quidem partibus & ventriculis à nutrimento separatur excrementum & tartarus, ita quoque in ventriculo medullæ. Tartarus autem hujus ventriculi non est in forma coagulata, sed resoluta, quia pinguedo impedit, quominus possit coagulari. Etsi verò hic tartarus sit resolutus, nihilominus tamen omnia symptomata illum, quæ paroxysmum tartari comitantur. Hic liquor tartareus multos & varios parit morbos, quas fluxiones dolorificas vocare solent, omnis quoque arthritica, Ischiatica, quæ non est podagra perfecta, ex hoc liquore tartareo originem trahit, qui in articulis, ischio, nervis, juncturis sedem fixam habet, & calculi symptomata secum adducit. Qui calculum curare & expellere potest, is huic morbo medetur, qui secus, nunquam ad perfectam ejus curationem aspirabit. Is liquor medullæ integrè sanus est, cum excrementa ab ossium siccitate consumuntur, & in peregrinas regiones, juncturas, carnes, ligamenta, synoviam non irruunt. Cùm verò limites regionis constitutos prætergrediuntur, varios morbos producunt, podagram, chiragram, genugram, ischiaticam & juncturarum dolores. In synovia ventriculus quoque & ignis digestionis, qui separat excrementum & tartarum à nutrimento. Synovia autem sive gluten est membrum præstantissimum, & exquisitissimo sensu præditum, quod omnium minimè pati potest. Ejus excrementum tartareum duplex est, coagulatum & resolutum. In principio separationis, antequam spiritus salis accedit, in substantia liquoris apparet postmodum verò spiritu salis superveniente, coagulatur in solidam substantiam, ex qua podagra, chiragra, genugra generantur. Medicina quæ reducit, resolvit, consumit tartarum, curat & tollit quoque podagram, & ejus species. Et quicunque tartarum non potest reducere, resolvere, transmutare, neque podagram auferre potest.

Curæ hujus Tartari.

Gluten tenerrimi & exquisitissimi sensus.

CAPUT XXIV.

De Ente seminis.

Ens magicum Christiano indignum.

INSISTENTES vestigiis Paracelsi hactenus Entia tria morborum explicavimus: Ens astrorum, Ens naturæ, Ens veneni. Etsi autem Paracelsus quinque ponit morborum Entia; cùm tamen tria tantùm naturales causas habeant, & explicationem admittant: reliqua duo, Ens magicum, quod cum homine Christiano ex diametro pugnat, & Ens divinum, quod occultum & ferè impervestigabile est, inexplicata relinquimus: cùm Medico vero tria illa explicata sufficiant, & desiderium ejus explere possint. Hic forsan quis miretur, cur in generali explicatione morborum trium principiorum, quibus tamen Paracelsus omnes morborum causas adscribit, non fecerimus mentionem? Respondeo, quòd Paracelsus scribit, omnes morbos in tribus primis consistere, in Sale, Sulphure, & Mercurio, non simpliciter sit intelligendum, sed primo libro Paramiri De origine morborum ex tribus substantiis, Cap. 2. in fine, explicat ipse mentem suam dicens, Omnem morbum esse cum viro conferendum, per omnes ejus partes, & pergit, hoc esse fundamentum cognitionis morborum, quippe si morbus cum viro conferatur, quo ad accidentia, seu adjuncta propria & essentialia. Ita enim comprehenduntur quatuor Elementa, tria principia seu tres substantiæ, quatuor astra, quatuor terræ, quatuor aëres, quatuor aquæ, quatuor ignes, & omnes conditiones, proprietates, natura viri, sine quibus nullus morbus esse potest. In majori Mundo, videmus sublimationem Mercurii, in quo essentialiter tria sunt principia, siquidem individuum est per se absolutum in minori Mundo talis quoque sublimatio fieri solet, ab igne nimio digestionis. Hic Mercurius sublimatus, ut venenum maximum in microcosmo, generat Epilepsiam seu caducum. At nemo sibi persuadeat, Mercurium hic solum ut principium adesse, sed ut individuum, in quo non unum, sed tria principia concurrunt. Paracelsus enim sæpe dicit, Sal mercuriale Vitrioli, in quo omnia ea comprehendit, quæ modò adduximus. Interdum dicit, Epilepsiam esse è Mercurio sublimato, verè & philosophicè loquitur, non ut de principio, sed ut de individuo, in quo tamen Mercurius prædominatur. Ita κατ' ἐξοχὴν morbus dicitur Mercurii: hic morbus sulphuris, hic morbus salis. Ut autem Ens seminis aggrediamur, in memoriam primò revocandum est, unicuique speciei & radici mundanæ adjunctas esse impuritates & tincturas morborum, quæ mortem & dissolutionem moliuntur, & hanc ob causam omnia obnoxia esse corruptioni & morti: deinde individuorum seu principiorum impuritates & tincturas supervenientes esse, quæ individuis humanæ speciei ob libidinem & intemperantiam inprimis familiares sunt, de quibus ponitur Ens seminis. In illis enim sæpe usque adeo principiorum radices inquinantur, ut propagatione in tertiam & quartam generationem conserventur impuritatum impressiones. Quas impressiones in generationibus vocamus Morbos hæreditarios. Morbi enim triplici ratione in humanam anatomiam introducuntur, aut alimentorum culpa, aut externarum impressionum injuria, aut hæreditario parentum semine. Morborum semina, quæ alimentorum culpa, aut ex alimentorum resolutionibus noxiis in nos perveniunt, in hæreditarios morbos evadere possunt, quatenus adhuc in prima & spirituali materia existunt. Cùm verò semina morborum sive alimentorum culpa sive externarum impressionum injuria in nos pervenerint, ad ultimam pervenerunt naturam, vel corpoream coagulationem seu transmutationem admiserunt, nunquam hæreditarii evadunt: quia in humana compositione primæ materiæ solùm concurrunt, & semina omnia humanæ generationis sunt spiritualia. Hinc fit, quod ex podagricis non podagrici, ex epilepticis non epileptici, ex calculosis non calculosi nascuntur. Quando autem semina morborum in prima materia concurrerint cum parentum semine, quæcunque illa fuerint, morbos hæreditarios producunt. Proinde sæpe ex non podagricis podagrici, ex non epilepticis epileptici, ex non calculosis calculosi generantur, nisi matris semen omnino dissentaneum fuerit, & contra: Nam semen maris & fœminæ in unum semen coalescunt, itaque cum proprietatibus & morborum seminibus conspiraverint, fœtum hæreditariis morbis inquinatum generant. Sin autem dissentanea fuerint semina illa maris & fœminæ, quoad impuritates & semina morborum, potestate naturalis Balsami

Lib. 1. & 2. Paramiri.

Quatenus omnes morbi in Mercurio, Sale & Sulphure consistant.

Epilepsia causa explicata.

Vide Sev. fol 216. 217. 218.

Quamobrem omnia corruptioni obnoxia.

Tres morborum causæ.

Morbi hæreditarii.

Balsami supervenientia & peregrina morborum rudimenta in utero superantur. Speciei enim seu primæ materiæ non cohærent, sed individuis & principiis humanæ anatomiæ. Quod inde fit manifestum, quia manifesta ætatum discrimina subeunt, interdum quarta progenie, alia sexta, nonnunquam decima absoluta revolutione desinunt. Radicibus exhaustis filii nascuntur à podagricis non podagrici, ab amentibus vel melancholicis non melancholici, ab epilepticis non epileptici. Quod diximus morbos ex Ente seminis parentum quatuor in se continere cursus, Elementorum, Planetarum, humorum, qualitatum; isti quatuor unus cursus sunt: siquidem in omni morbo quatuor ista concurrunt. Primò omnes morbi sunt elementati, quatenus sua habent principia. Secundò omnes morbi sunt Planetarum, ratione locorum. Morbi enim omnes sive alimentorum culpa, sive externarum impressionum injuria, sive ex ente seminis parentum oriantur, aut sunt Solares, aut Lunares, Saturnini, Martiales, Venerei, Mercuriales, Joviales. Tertiò in omnibus morbis salia concurrunt. Ex tribus enim principiis omnes morbi generantur, non ex uno. Quartò, in omnibus morbis deprehenduntur qualitates: Aut enim morbi sunt calidi, aut frigidi, aut humidi, aut sicci.

Morbi Elementati. *Morbi Planetarum.*


HACTENUS DE CAUSIS:
sequitur

DE CVRATIONE MORBORVM

CAPUT I.

De unitate astrorum generationis & transplantationis, curationis morborum.

Astra generationis. Astrum quid.



STRA generationis sunt quadruplicia, respectu Elementorum. Omne enim Elementum suum habet astrum, vitale principium, & formam agentem, quæ ex matrice varios producit effectus, exteriore quidem forma differentes, specie verò similes, & forma interiore ubique correspondentes. Horum autem astrorum, quamvis sint quatuor & quædam diversitas generationis, imò maxima fructuum differentia in Elementis conspiciatur: rem tamen altius repetentes, & cum animo perpendentes, unitatem astrorum & catenam Homeri auream orbis universi deprehendimus. Siquidem inferiora sunt sicut superiora, & superiora sicut inferiora, teste Hermete. Quoniam verò cœlum cum terra, & terra cum cœlo in universum conspirat, quis unitatem naturæ & societatem invisibilis naturæ cum visibili negabit? Quamobrem profitemur, omnia Elementorum astra esse unum tantùm astrum, quæ omnia sub principio in fonte unitatis unita fuere. Quod autem diversos in diversis locis producant fructus, non diversitati astrorum, sed scientiis, donis, & donorum signaturis interioribus adscribimus. In explicatione universali morborum tria morborum genera seu Entia recensuimus. Ens astrorum, Ens naturæ, Ens veneni. Sed quorsum ista tria Entia? Unum tantùm astrum transplantationis est, una tantùm est natura quæ patitur, non quidem natura, sed ejus officina & domicilium. Plurâne efficiunt, quàm afficiuntur? Minimè. Sed ut in Macrocosmo magna generationis & fructuum, ut & transplantationis differentia est: Ita quoque in Microcosmo generatio & transplantatio morborum observanda. Nam eadem est ratio, concordantia, conspiratio, unitas astrorum, transplantationis ac generationis celebrata fuit. Atque hinc inde binarius exortus est contrarietatis, litis & discordiæ soboles & propago. Hinc amor, hinc odium. Nulla enim res in tota hac Universitate consistit, quæ non cum aliis complurimis vinculo naturali sit connexa, & aliis multis repugnet: siquidem omnia Herculeo vinculo, cohærent, omniaque vicissim Vatiniano odio disjunguntur. Quo evenit, ut similia similibus curentur, & contrariorum contraria sint remedia: quod res concordes & eodem jugo complicatæ vires suas commune cent, suis suppetias ferant, & uno studio eodemque modo contraria arceant & expellant. Quæ cùm ita sint, & in rerum universitate unitas astrorum celebretur, tam generationis quàm transplantationis, unam quoque morborum omnium curam natura constituit, quæ in duas species divisa, astralem seu spiritualem & materialem seu corpoream. Paracelsus de morbis amentium dicit: In morbis, qui ex materia pendent, materialia exhibentur remedia: In morbis astralibus seu spiritualibus, astralia quoque & spiritualia medicamenta requiruntur. Quæcunque enim ad curationem requiruntur, omnia in spirituum potestate continentur. Omnis morbus duplex est, spiritualis & corporalis, ita materialem & spiritualem medicinam Medicus administrare debet. In impressionibus astrorum seu morbis astralibus, utrumque exhibeatur. Tria verò morborum Entia ad unum transplantationis astrum referimus, cui astrum generationis ut veram & perfectam curam opponimus.

Diversitas fructuum in singulis Elementis, adscribenda est scientiis & donis astrorum. *Astrum transplantationis unum.* *Binarius contrarietatis & discordiæ propago.* *Similia similibus curantur.* *Cura morborum in duas species divisa.* *Omnis morbus duplex.* *Astrum transplantationis curatur per astrum generationis.*

CAPUT II.

De causis doloris capitis ejusque vera curatione.

QUAM difficilis & intricata planè sit morborum explicatio, ostendit Aristotelicorum familia privationum, Platonicorum materiales defectus, morbos infinitati concedentes, tanquam sine essentia, natura, proprietatibus inania quædam nomina essent in subjectis. Enimverò morbi occulta semina generationis, & transplantationes absconditas, nec sensuum arbitriis, nec syllogismorum superbis decretis subjectas obtinuerunt. Etsi verò tam arduum & difficile sit, morborum semina, generationem & transplantationem explicare, tamen virtutis & veritatis stimulis incitati, forti & intrepido animo, Hippocratis, Paracelsi, aliorumque fince

Explicatio morborum difficilis.

sinceriorum Philosophorum vestigiis insistemus, & morborum explicationem aggrediemur. idque multò felicius & majori successu facturi sumus, quia librum naturæ magnum hactenus DEO adjuvante explicavimus & plura quoque artis Spagyricæ opera vidimus, ministerio Vulcani. A vertice igitur ad calcem descendemus, & totum Microcosmum secundùm regiones, partes & locos perlustrabimus. Capitis affectus, quoscunque usus notavit, partim symptomata sunt, partim morbi. Hos affectus in tres ordines partimur, ex affecta sede, seu respectu loci affecti. Alii capitis membranas, alii cerebri substantiam, alii meatus atque ductus obsident. Membranæ capitis sunt MENINGES & PERICRANIUM, in quibus, ut exquisitè sentientibus, dolores fiunt. Dolores capitis duplices sunt respectu causarum efficientium. Dolor enim aut ab externis causis fit, aut ab internis. Dolor capitis ab externis causis, est ex labore nimio vel æstu Solis, ex frigidiori cœli occursu, crapula, Venere, odore gravi, ictu. Qui ex his causis oritur dolor, languidus & infirmus est, seu impressione fixa & vitali. Dolor capitis ab internis causis seu impressione fixa & vitali proveniens, aut ex sanguine, resolutione aut oppilatione procedit. Paracelsus lib. 10. Paragraphorum de capitis adversitatibus internis: Sanguis producit capitis dolores ex digestione accidentali, hoc est, ebullitione spirituum vel errore trium primarum. In hoc dolore ex sanguine incidatur vena cephalica, & cessat dolor, veraque cura adest. Si autem conditio ægri venæ incisionem non ferat, exhibeatur humidum narcoticum, qualia sunt liquor coralliorum, rosa, sempervivа, margaritæ & similia. Exhibeantur autem vel ad intra, essentialiter, vel ad extra in forma cataplasmatis.

Symptoma est affectus per naturam ex morbo profectus.

Dolor capitis duplex.

Cura diversa.

Resolutio vaporum seu spirituum tartareorum dolorem capitis generat, nimirum cùm ex debilitate ventriculi orificium ejus non clauditur, tunc ascendunt vapores seu spiritus salis tartarei ad cerebrum, membranasque feriunt. Hinc dolor & destillationes, ac dolorificæ fluxiones. In cura hujus doloris causa primum est auferenda. Tartarus resolutus in ventriculo reducitur, expellitur & consumitur oleo seu spiritu Vitrioli, qui refert odoris suavitatem, & dulcem aciditatem.

Oppilatio seu obstructio principalium viscerum parit dolorem capitis. Cùm in renibus non fit digestio, & virtus attractiva non habeat, quod attrahat, tunc renes ex epate nutrimentum quærunt, quod si obstructum fuerit, renes per spinam dorsi nutrimentum attrahunt è capite, & primò in occipitio fiunt dolores, postea hemicrania: Interdum totum caput occupat. Ideo in hemicrania & omni dolore capitis sola cura est, ut renes prius curentur, auferatur obstructio Epatis, & renes nutrimentum habeant. quod non solum de renibus, sed etiam aliis principalioribus intelligendum est. Hic principatum obtinet Aqua Mercurii acida, spiritus Vitrioli, spiritus Tartari. In dolore capitis ex renibus sentitur dolor circa renes: si ex epate, dolor adest in regione epatis: si ex ventriculo, ventriculus ipse dolet: si ex matrice, matrix ipsa dolorem percipit: si ex splene, dolore erit in dextro latere, videlicet in regione splenis. Cephalea, Hemicrania, Cephalalgia quandoque generantur ex tartaro capitis, delitescente in Synovia, quod dignoscitur, cùm nulla obstructio viscerum, nec ebullitio sanguinis, nec resolutio ventriculi adfuerit. Hinc dolor capitis consuetis, & multos annos homines frequenter levi occasione exercens. Cephalea caput totum aut partem ejus maximam: hemicranea alteram duntaxat occupat, à temporumque pulsatione initium ferè sumit. Cephalalgia genus utrumque comprehendit, ac præterea quemvis dolorem, sive ex febris sive ex Solis calore, sive ex ebrietate, sive ex alia quavis evidente causa excitatur.

Paracelsus lib. 2. Tractatu 3. de Tartaro, fol. 330

Capitis doloris causa etiam ex renum intemperie.

Indicia.

Discrimen morborum capitis.

In curatione doloris capitis maximè administranda sunt Anodyna seu narcotica, quæ leniunt & sopiunt dolorem. *Curatio.*

In rabiosis capitis doloribus ægro in fronte vena incidenda est, Mania dicta. Vel: ℞ Ol. Musci, Ol. Camphoræ, ad guttas vj. administra in vino vel cerevisia manè & vesperi.

Secretum contra rabiosos capitis dolores.

I. ℞ Cancros fluviatiles, contunde, exprime succum, redige in unguentum, applica temporibus. Theopht. in libro de vermib. cap. 11.

Contra diuturnum capitis dolorem.

II. ℞ Pulegii, polypodii, fol. Senæ, Verbenæ, Anisi ana ℥ij. Gingiberis ℥iiij. Pulverisentur, misceantur. Deinde ℞ Spiritum vini, quo prius essentia ex origano, hyssopo & floribus chamomillæ extracta, affunde pulveri, digerantur, & postea destillentur per Alembicum lento igne. Hujus extracti guttas v. vel vij. administra in liquore conveniente.

III. Theophrastus in curationibus suis quas propria manu scriptas reliquit: Quidam capitis doloribus laborabat, cujus caput purgavi per nares succum Cyclamini infundendo, Rhinochites appellato, vel pluma concava. In eodem loco scribit: Quidam vehementi capitis dolore anni spatio laborabat, sanitati restitui solummodo cranium aperiendo, atque eodem modo cerebri tumorem curavi, exhibendo simul oleum Salis in aqua Basiliconis. *Cura Theophrasti.*

IV. Alia cura: Barbitonsor quidam Argentinensis cum gravi dolore cruciaretur, ut olfaceret dedi Sampsuchi sive Majoranæ oleum, & guttulam in utramque aurem impolui, & quamprimum factus est sanus.

V. Oleum Anisi quoque capitis affectibus opitulatur. Oleum fœniculi eodem confert.

VI. Extractum Acori: Ol. Chariophyllorum, Essentia seu tinctura croci Orientalis, cum guttula cum liquore aliquo, jusculo aut vino permiscetur.

VII. Succini oleum distillatum capitis affectibus succurrit cum aqua tiliæ sumtum.

VIII. Oleum Vitrioli & spiritus ejus: Oleum Coralliorum.

In cura doloris capitis ratio habenda est alvi. Nam si obstructa fuerit, frustrà erit omnis medicina adhibita. Propterea si constipatur, solicitanda est suppositoriis. *Observatio.*

(De Capitis doloribus lege Guilhelmum Rondeletium in methodo curandi Cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Item Leonardum Jachinum in libr. nonum Rasis, Cap. 2. 3. 4. 5.)

CAPUT III.

De morbis qui cerebri substantiam infestant, & primum de Phrenitide.

PRINCIPIS facultatis animæ, quæ in cerebri substantia, tanquam proprio domicilio residet, depravata functio est Desipientia, Παραφροσύνη & Παράνοια dicta, quæ mentis est alienatio. Hac qui conflictantur, præposterè ratiocinantur, aut aliena cogitant, qualia aut nusquam, aut aliter multò subsistunt.

Motio mentis, desipientia.

fistunt. Quibus ita mens ægrotat, ii, dolorem, (inquit Hippocrates) ferè non sentiunt. Desipientium tres sunt ordines: Alii cogitatione sola delirant, ut Melancholici, quibus etiam vigilantibus mens visis quibusdam mendacibus jactatur. Alii verbo, ut Phrenetici, qui vel impudentius vel effrenatius, vel nullo ordine, nulloque judicio multa obloquuntur. Alii opere, ut Maniaci, qui suas cogitationes etiam facto explent.

Tres ejus ordines.

Causa ex Fernelio.

Fernelius omnium causam statuit humorem aut vaporem ferventissimum in cerebri substantiam ejusque ventriculos effusum, cujus impulsu & agitatione mens in falsa quadam fictitiaque traducitur. Desipientia alia cum febre, alia sine febre existit: Quæ cum febre existit, est Phrenitis aut delirium. Ab Hippocrate, Galeno, Ægineta, Tralliano, & aliis Græcis Medicis φρενῖτις appellatur, quod non tantum caput, sed etiam ipsam mentem, quam φρένα vocant, (quæ etiam est ὁ νοῦς καὶ ἡ διάνοια, h. e. intellectus & intelligentia) lædat, teste Galeno.

Causa ex Galenicis.

Galenici dicunt, phrenitidem generari, quando flava bilis seu cholera ascendit ad cerebrum, & ejus membranas inflammat, ut in acutis febribus accidere solet. Paracelsus ait,* Maniam, Phrenesin, & insaniæ species, morbos quoque gravissimos generari ex oppilatione. Alibi scribit, φρένιτιν, Maniam generari ex oppilatione spiritus vitæ, nimirum, cum meatus per quos spiritus vitæ ad cerebrum transit, obstruunt: tunc in cerebro oritur putrefactio in ulcerationem, ex putrefactione inflammatio & cum jam jam spiritus suffocatio adest, tum percutit totum corpus febrili paroxysmo.

** Lib. 10. Paragraph. de affectibus capitis, paragr. 3. De viribus membrorum lib. 1. cap. 3.*

De morbis vermium Paragr. paragrapho secundo: In regionibus membrorum principalium quoque vermes nascuntur, exceptis renibus propter urinam. Nam in anatomia cerebri inventus est vermiculus, qui piam & duram matrem transfoderat, unde Phrenesis generata. Lib. 2. Paramiri, De origin. morborum ex tribus substantiis, Maniam, Phrenesin generari ex sublimatione Mercurii. Sed quomodo hæc cum præcedentibus consentiunt? Concilianda sunt, videlicet ex sublimatione Mercurii & vaporum adscendentium generari obstructionem, ex obstructione oppilationem spiritus vitæ, ex oppilatione Mania, Phrenesis. Ita Paracelsus modò remotam, modò proximam causam morbi ponit. Lib. 3. Paramiri De orig. morborum ex tartaro tractatu quarto scribit: Extra substantiam cerebri, in regione ventriculi ejus generari tartarum, ex quo phrenesis, mania, & aliæ species vesaniæ oriuntur.*

Theophrast de vermiculo in cerebro invento.

** qua est oppilatio meatuum spiritus vitæ ex tartaro*

CURA PHRENESIS.

Cura Phreneseos.

IN Tractatu tertio Paragrani de Alchymia scribit Paracelsus fol. 74. Morbos graviores, apoplexiam, paralysin, lethargum, caducum, maniam, phrenesin, melancholiam non tolli decoctionibus Pharmacopœorum. Bartholomæus Anglus l. 16. c. 96 scribit: Præstantissimam esse curam phrenitidis, ut primò ægro somnifera seu anodyna exhibeantur, postea removendo, obstructio tollenda & confortandum cerebrum. Joh. Montanus in tract. de Terra sigillata dicit: Terram illam admodum subitaneam curam esse contra omnes rabiosos capitis dolores. Paracelsus in curationibus suis scribit: Princeps Germanus phrenitide laborabat, ob febris vehementiam exhibui illi laudanum nostrum, ad gr. v. febris expulsa est, & horis vi. integris dormivit. Olei perlarum grana sena in liquore ad propriato administrata, extinguunt inflammationem cerebri. Confortatio cerebri fit per liquorem viridem argenti, arcanum vitrioli, liq. sapphiri, liq. musci, balsamum sulphuris, aquam Lunæ. Tinctura croci orientalis Phreneticis circa nares & tempora applicata opitulatur. Cardanus scribit Ol. succini phreneticis vel desipientibus prodesse. Essentiam Topazii Anglus extollit lib. 16. cap. 96. Valerius Cordus scribit, Trypheram magnam prodesse phreneticis. NOTA. Urina plumbei coloris præsagit mortem. Urina viridis cum ejusdem coloris circulo vel ambitu præsentissimum mortis periculum ostendit.

Experimentum ex Paracelso.

Sandreme [illegible]

Crisis mortis in Phrenesi

CAPUT IV.

De Mania.

FERNELIUS inter Gallos Medicos ferè doctissimus: Cùm atrabilis vel melancholiæ, vel sanguinis, vel flavæ bilis ex ustione genita est, Mania insilit & adoritur, quæ proinde sæpe succedit incalescenti Melancholiæ. Ater hic humor similiter atque Melancholia alias in præcordiis, alias in toto corpore, alias in capite solo congeritur. Calidus verò cùm sit, immania, horrendaque deliramenta suscitat: Quod si putrescat, febrem accersit: Sin duntaxat vehementius incalescat, sine febre Maniam solitariam.

De Mania causis, differentiis & curatione, vide tractatus de morbis amentium primi caput secundum.

Signa quoque addit. Mania nobis Furor vel Insania dicta, quæ cogitatione, verbo, aut opere, melancholicorum quidem deliramenta imitatur: sed iracundia, jurgiis, clamoribus, horrendo aspectu, multo denique majore corporis impetu & mentis perturbatione laborantes exercet ac impellit, ut quasi feræ ac belluæ immanes in obvios dentibus, unguibus & pugnis invisitata rabie petulanter invadant. Signa hæc & adjuncta propria Maniacorum experientia quidem ipsa demonstrat.

Signa Maniæ.

Causa vero in qua omnes Galenici consentiunt, an vera vel falsa sit, ex decreto Paracelsi manifestum fiet. Mania duplex est secundum Paracelsum: Una, quæ sanum invadit hominem, & est morbus ipse: Altera quæ morbi symptoma est, ut in peste & febribus. Paracelsus scribit, Maniam oriri ex tribus primis. Eodem capite Maniam rursus dividit in duas species, una quæ proficiscitur ex destillatione, & quasi vapor in capite remanet: altera provenit ex sublimatione & in capite coagulatur.

Mania duplex Lib. 1. de morbis amentium. tract. 1. c. 2.

Ibidem.

Causa Maniæ.

In cura respiciendum est ad illas duas causas, nimirum ut consumatur & dissipetur vapor ex destillatione: deinde ut resolvatur & reducatur illud, quod coagulatum est ex sublimatione.

Indicatio curæ.

Mania autem originem trahit, aut ex sanguine, venis, ventriculo, intestinis, renibus, Epate, spiritu urinæ, pulmonibus. De morbis amentium cap. 2. non potest satis intelligi, ubi Maniæ minera atque fomes sit originalis. Morbus enim astralis est. Vera autem causa Maniæ est, in quacunque parte corporis delitescat, Mercurius in calcem reverberatus, & in aquam fortissimum solutus, qui solutus permiscetur spiritui vitæ, illumque inflammat. In hac autem aqua forti tanta est subtilitas, ut in fundo non permaneat, sed ad summa tendat. Hæc reverberatio Mercurii ex nimio calore provenit. Exempli gratia: Si spiritus salis cum spiritu vitæ permiscetur, tantæ est subtilitatis & potestatis, ut quamprimum ad cerebrum pervenit, maniam & insaniam prodocit.

Minera & fomes Maniæ.

Cura Maniæ duplex est: Vna quæ refrigerat & coagulat materiam peccantem: altera quæ omnino dissipat & consumit materiam, ex qua generatur Mania. Refrigeratio autem & coagelatio materiæ peccantis fit per curam caduci. ℞ Ol. Camphoræ ℥j. Ol. Musci ʒß. vel. j. misce & administra qualibet vice ʒß. Hoc medicamentum in cura Maniæ est excellentissimum. Mirabiliter enim coagulat materiam maniæ, extinguit calorem corporis, ebullitionem sanguinis, & alterat materiam, ut frigus aquam in glaciem. Hoc oleum

Cura Maniæ duplex.

I. Coagulatio materia peccantis.

extra

Vide Quercet. de medicam Spagyr. praeparat. folio 13. extra quoque; applicari potest circa tempora & frontem. Maniam quoque tollunt hæc arcana virtute specifica: Quinta essentia argenti, Saturni, Martis & Mercurii. Solutio crystalli & coralli: Item spproprita extractio Camphoræ, extractio auri. Medicinæ verò quæ tollunt materiam peccantem. Maniæ hæ sunt, quæ vel extra vel intra applicari possunt.

Materiam peccantem tollentia. Summum anodynum, quinta essentia Mandragoræ, opiatorum, papaveris hyoscyami. Cura Maniæ præcipuè consistit in laudano perlato, lib. 2. de peste cap. 5. De viribus membrorum lib. 2. cap. 4. ponit arcanum Gillæ, quod usque adeo confortat cerebrum, ut ei nec vertigo, phrenesis vel Mania nocere possit. Per Gillam eo in loco intelligit Sal nitri destillatum cum spiritu vini Alcohisato & rectificato. Deinde autem circuletur, donec omnino fiat spiritualis, volatilis, essentialis, quæ essentia administranda est vino generoso. *Vide Theophr. quid tomo 7. fol. 386 per Gillam intelligat.*

CAPUT V.

De Melancholia.

ALTERA desipientiæ species sine febre est Melancholia, quam secundum Galenicos efficit ater ac fœculentus humor sui vapori in mentis sedem irrepens. Humor ille generatur, quando flava bilis aut cholera in atram bilem degenerat. Humor autem modò in liena vicinisque partibus, modo in capite solo consistit, modo in venas universumque corpus effunditur. Hinc melancholia triplex, Hypochondriaca, Primaria, & quæ totius corporis vitio fit. Melancholia hypochondriaca etiam flatu lenta dicta, fit, cum atra bilis ad septum transversum seu diaphragma pervenit, è quo vapor ater & obscurus obrepit in mentem. Melancholia primaria est cùm cerebr. primario afficitur, sine totius corporis vitio. Quæ totius corporis vitio fit Melancholia, Maniã vocant solitariam, sed falsò. Melancholia enim non est causa Maniæ, sed spiritus vitæ veneno Mercuriali infectus, de quo cap. 4. Paracelsus Melancholicorum quatuor essegenera scribit, secundum quatuor, ut vocant complexiones. Si hæ complexiones Desipientiam generant, causa est, quod spiritum suum à se ad cerebrum arcesant & expellant propter nimiam copiam. Sed quid sunt spiritus quatuor humorum, seu complexionum? Gustus acris, acerbus seu acetosus, amarus, dulcis. Quid vero Gustus? τὸ τῶν μεγάλην δύναμιν ἔχον, ut cum Hippocrate loquamur. Quid verò magnam potestatem habens? Sal, Sulphur, Mercurius, in illis enim omnes potestates tam sanitatis quàm morborum continentur. Ita cujuslibet humoris spiritus (Gustus) in se continens tres primas tam sanitatis quàm morborum, melancholiam producere potest. quatenus venenum tale spiritui vitæ permixtum fit languidius. In hoc morbo prædomi natur spiritus salis. Morbus enim chronicus & infirmus est. Capite citato dicit Paracelsus, Melancholiam vesaniam potu & cibo sæpe inductam esse, de qua Ovidius.

Melancholia triplex. Hypochondriaca.

De morb. amentium tract. 2. c. 5.

Spiritus humorum.

De membr. contractu. tract. 1. c. 4.

Melancholia in toto corpore sedem habet.

Morbi Chronici à prædominio Salis.

> Philtra nocent animis, vel animis, hæc & nocuere puellis.

Melancholici autem plerunque tristes existunt, & hominum consuetudinem conspectumque fugiunt: alii ne loquendum quidem sibi esse putant, sed totam vitam in taciturnitate transigendam.

CURA MELANCHOLIÆ.

Cura Galenicorum. Galenici, qui Melancholiam esse dicunt causam morbi tristitiæ, cum sit nomen tantùm morbi, contrariis hunc morbum curare conantur. Melancholia, dicunt, est frigida & sicca, calidis igitur & humidis tollenda. Quamobrem dum ejus curam moliuntur, exhibent caliditatem diambræ, item Mithridaticum, diamargariton calidum, elect. pl ris, item confervam Boraginis, buglossæ, acetosæ: item, diaboraginatum, diamusci dulcis confectionem. Hæc, quanquam non omnino sint aspernanda, dum quodammodo reficiunt spiritus vitales, tamen morbum non tollunt, sed quantum in ipsis est, & quantum vires suas in actum nondum reductæ exercere possunt, confortant naturam. Ratum quoque & constans semper erit decretum Paracelsi: Melancholiam seu tristitiam Pharmacopœorum decoctionibus nunquam tolli. In curatione Melancholiæ specificæ arcanorum virtutes sunt considerandæ. Specifica virtus, quæ Melancholiam tollit, est in Antimonio. Floribus enim Antimonii sæpius liberati sunt, qui aliquot mensibus catenis erant vincti atque ligati. Flores Antimonii exhibentur in parva quantitate Theriacæ manè, bis, ter, vel quater pro morbi contumacia. Paracelsus: Antimonii quinta essentia est perfecta cura Insaniæ. Item, oleum Antimonii præservat ab omnibus speciebus amentiæ. Tinctura seu magisterium croci, tristitiam, desperationem, & melancholiam expellit. Crocus enim summa medicina tristitiæ, quando quis ad desperationem venit, prostratos spiritus mirum in modum reficit: est deoppilativum spiritus vitæ generale, & cordis summa lætitia. Lapis Armenius & Cyaneus præparatus ad scrupulum unum melancholicis affectibus omnibus prodest. Lapis Cyaneus præparatus commodius multò exhibetur in confectione Alkermes, medicis omnibus commendata, tollit enim mœstitiam, & affictus melancholicos corroborat spiritus & arcet quodvis venenum. Essentia Lunæ omnes affectus malancholicos curat. Essentiæ hellebori ℈j. exhibitus omnibus melancholicis affectibus confert. Smaragdus non potus modo, sed ad collum appensus hos affectus tollit. Essentia thymi, epithymi, origani, melancholiam domant. Stultitiam & amentiam hæreditariam inconcinnæ cerebri figuræ, malæque conformationi adscribit Paracelsus. Stultitia, amentia, ex seminibus non oriuntur, sed quasi læsiones quædam ex generationibus relinquuntur, ex quibus figurarum & cavitatum morbi plurimi dependent.

De morb. ament. c. 5.

Virtus Croci.

Experimenta ad melancholiam.

Tractatu de generatione hominis, c. 5.

Qui plures vesaniæ species cognoscere cupit, legat Paracelsi libros de morbis amentium. Hæ enim species quas explicavimus, communiores sunt, illæ verò rariores.

CAPUT VI.

De Lethargo.

LEthargus seu λήθαργία est torpor & inexpugnabilis fere somni necessitas juxta Celsum lib. 2. c. 10. & 20. Galenici hujus morbi causam statuunt frigidum vereque pituitosum humorem, qui magna copia in cerebri substantiam & ventriculos effunditur. Ejus species sunt cataphora, coma, carus. Cataphora est altus sopor. Coma, catoche seu catalepsis est stupor vigilans, unde Medici vocant ἀγρυπνον κῶμα, vigilantem somnum. ἀγρυπνον quasi ἄϋπνον, id est, insomnem, vigilantem, quando æger simul vigilat & dormit, quo interdum originem trahit à nimio vini potu, teste Galeno. Carus est profundus somnus, ut nec pilorum vulsionem, nec percussionem, nec punctionem sentiat æger. Paracelsus dicit, Lethargum esse speciem Guttæ. Gutta autem generatur ex Mercurio sublimato cacochymiali. Si generatur

Species lethargi.

Lib. 3. c. 5. de temperam.

De vita longa lib. 4. cap. 2.

nus, ergo & species, quamvis non tam valida atque vehemens sit sublimatio in lethargo & aliis speciebus Guttæ, ac in gutta ipsa. Nam omnes species affinitatem generis habent. Alio loco dicit, lethargum generari ex nimia cerebri humiditate, qua sublata & exiccata tollitur effectus. Quomodo autem exiccanda sit docet idem.

Lib. 1. praeparat. tract. 4. fol. 42.

Ratio curæ ex Theophr.

CURA. Causa ipsa lethargi tollenda est & natura corroboranda. Paracelsus in Parsgrano de Alchymia dicit, Lethargum non curari decoctionibus officinarum. Morbus mineralis est, per mineralia quoque curatur. Paracelsus in curationibus: Quidam post febrem incidit in tam profundum somnum, ut se pungentem non sentiret, nec oculos aperiret vel quicquam loqueretur. Lethargo laborabat, quem curavi oleo salis. Item: Mulier quædam vigilans somno laborabat lethargico, ita ut oculos semper haberet clausos, quam si quis appellasset, difficulter oculos aperiebat, & quod loquebatur nemo intelligebat, neque rectè respondebat. Solo Vitrioli oleo ad pristinam sanitatem revocavi. In hoc morbo curando principatum tenet essentia Antimonii, & omnes indicationes seu curandi rationes in hac una reperiuntur. Causam enim radicaliter tollit & naturam consortiat virtute specifica qua excellit. Olei Vitrioli aliquot guttæ cum aqua Majoranæ administratæ multum conferunt. Hac in parte spiritus Vitrioli est multò melior & excellentior. In vera enim volatilitate Vitrioli est arcanum corroborans spiritum cerebri & cordis. Bartholomæus Anglicus lethargum curat sulphure.

De præstantia Vitrioli.

Lib. 16. c. 94. & lib. 7. cap. 7.

CAPUT VII.

De Caduco & speciebus ejus.

CALCULUS non est morbus corpori inhærens corporaliter, sed est morbus astralis, Elementalis, non complexionatus, * est morbus spiritualis non materialis. Species caduci sunt Epilepsiæ omnes species, suffocatio matricis extra locum, syncope cum speciebus suis (videlicet deliquium rediens, & syncope non rediens) vertigines, tremor cordis, incubus, ecstasis.

** i. e. calidus, frigidus humidus, siccus.*

Sciendum igitur, quod cæteri morbi Mercurialia sunt, & species morbi species Mercurii. Quot autem sunt species Mercurii, tot etiam species morbi. Caducus enim non ex complexionibus, qualitatibus aut humoribus oritur, ut perperam hactenus manes Galeni docuerunt. Fernelius inter Galenicos doctissimus morbum comitialem cujuscumque sit ordinis ab Ente veneni generari scribit. Idem profitetur præter humoris copiam venenata, & cerebri substantiæ graviter infensa atque inimica qualitas Epilepsiæ causa statuenda sit, quæ quoties exagitatur & prorumpit in cerebrum, ea quidem feritate, cerebro autem contra pugnante, quasi colluctatione quadam & dimicatione fit Epilepsia. Hic certè inter omnes hujus seculi Galenicos proximè accessit ad cognitionem causæ Epilepsiæ. Alio loco scribit Paracelsus, Caduci materiam esse sulphur stupefactivum, mordicativum, in Microcosmo existens, quod instar fumi lædit cerebrum ebullitione ab astris excitata.

Paracelf. lib. 4. Paragraph de morbis caducis, Paragr. 3.

Lib. 2. de abditis rerum causis, cap. 11. De morbis partis.

Causa ex Fernelio.

Causa ex Theophrasto.

Caduci origo quintuplex ex ratione locorum è quibus primum prodit ac insurgit. Ex cerebro, corde, epate, intestinis, vel quatuor membris externis. Fernelius tres ponit differentias Epilepsiæ. Una cerebro assignatur; altera est quæ ventriculi; tertia quæ alterius cujusvis partis consensu fit. Galenus duplicem Epilepsiam introducit; Per se, & per consensum. At certè unus idemque est morbus, ab eodem semine, principio, radice procedens. Fomites verò, matrices & agri differentiam faciunt, & symptomatum, signaturas, vehementia, celeritate, frequentia, duratione ac similibus alterant. Nam caducus intestinorum, diaphragmatis, dentium, mannum, pedum, testiculorum, medullæ, gutturis inter se differunt. Multum inquam differt caducus; synoviæ, sanguinis, à caduco ventriculi, diaphragmatis ratione matricum, locorum, in quibus morbi fomes delitescit, naturam, proprietates, subtilitatem, potestatem matricia ubique æmulatur. Rursus secundum Paracelf. Caducus quadruplex est secundum quatuor Elementa. Enimvero caduci quadruplicis differentiæ ex dolorum & paroxysmorũ diversitate desumuntur. Hic recurrendum est ad fontes Philosophiæ. Quemadmodum in Macrocosmo Elementum igniũ est potentissimum: Ita in Microcosmo paroxysmus caduci ex astro igneo est vehementissimus. Nam ex seminibus constat potentioribus, quorum resolutiones fulminis instar momento vitalia Elementa universi corporis occupare solet. Paroxysmus verò caduci ex aere mitissimus est. Ita quatuor gradus caduci in microcosmo constituuntur, ut in Philosophia Macrocosmi quatuor gradus Elementorum posuimus. Primum igitur gradum sibi vendicat calculus ex astro terræ: Caducus ex aëre secundum gradum obtinet: caducus ex astro aquæ tertium: caducus est astro ignis sibi quartum gradum sumit. Hoc modo dividuntur quoque specifica remedia caduci in quatuor gradus, uti in curatione dicemus.

Ex Fernel.

Ex Galeno.

De caducis paragraph. 3. f. 339. 340.

Caducus igneus.

Aereus.

DE CURATIONE CADUCI ET SPECIERUM EJUS.

Caducus & similes morbi, qui paroxysmorum vel symptomatum vehementia & pernicie infames sunt, duplices habent indicationes particulares. Quædam enim remedia paroxysmos præcipuè respiciunt, quædam radices ipsas, sedatio spirituum effervescentium, constrictio, mitigatio, ligatio &c. paroxysmos præcipuè respiciunt: resolutio autem uncturæ Epilepticæ, consumptio, ablatio ipsas radices respicit. Et hæ indicationes quoque faciles admittunt admixtiones, ac uno eodemque remedio omnis absolvi possunt. Remedia igitur seu medicamenta caduci in duos ordines distribuimus. Alia respiciunt paroxysmum, alia ipsas radices. Postremò adjungemus medicamenta, quæ non solum paroxysmum, sed & radices ipsas respiciunt. Paroxysmum, respicit & spiritus effervescentes constringit, mitigat, sedat, ligat Laudanum verum opiatum Paracelsi, cujus grana tria vel plura Epilepticis cum spiritu vitrioli & essentia camphoræ exhibentur. Radicem ipsam respicit Essentia Mumiæ & sanguinis humani, cujus exhibetur ℈ j. singulis mensibus in plenilunio Epilepticis. Morbum enim mitigat, expellit, estque illius proprium alexipharmacum. Essentia cranii humani ℈ß cum aqua florum tiliæ in paroxysmo. & ante paroxysmũ. Aquæ hirundinum cochleare unũ pro dosi. Elaterii extractum ℈ß. Lapis Cyaneus & Armenius præparatus ℈ jß. cum aqua melissæ & buglossæ. Hellebori essentia ℈j. Theophrastus dicit: In principio hujus morbi Olei vitrioli guttæ duæ: Ol. Perlarum guttæ duæ in aquæ Vitæ administratæ radicem hujus morbi radicaliter tollunt. Theophrastus ait, sese in Anglia facto ipso sæpius comprobasse. Lapis Philosophorum & flos Lunariæ tollunt hunc morborum. Paracelf. in inctura Physicorum: Ol. Lunæ, cujus guttulæ duæ vel tres cum aqua florum beto-

CURA.

Remedia duplicia.

Varia media ad curam.

Vide Quercet. de præparatio. Spagyr fol. 124. 127 & 235.

bitonicæ, salviæ & melissæ radicem caduci solvunt, consumunt, auferunt. Smaragdus non potus modo, sed & collo appensus cum comitiali morbo tanquam cum hoste præliatur. Vide Theophrast. lib. 3. Paragraph. Item in libello de signis Zodiaci, statim post præfationem: In centro cranii hominis strangulati invenitur os magnitudine cruciferi figura triangulari (non quidem in omnibus, sed tantum in quibusdam craniis reperitur) hoc os pulverisatum & administratum in aqua oppropriata (tiliæ) tollit caducum, etsi æger eo morbo laborasset ad viginti annos.

Singulare.

Cura modus Galenistarum.

Galenici exhibent aromaticum moschatum, diacastoreum, diamuscum dulcem, Elect. pliris sarcoticon, hieralogodion, ol. benedictum. Phrisius speculo medicinali: Rissius in antidotario: item syrupum stœchados. Phrisius in speculo, fol. 67. Et Theriacam magnam, item salviam & pilulas fœtidas. Galenici dicunt: Respiciunt & curant caput conservæ seu condita, nec non & trochisci & eclegmata, (nec non & alia capitis, nervorum frigida mala) anthos, roris marini, acori, lavendulæ, è betonica, è pœonia, manè & vesperi nucis juglandis quantitate exhibita: Nonnunquam admiscentur pulveres aromatici, & cum sacchato vel syrupo appropriato mixtura, ut vocant, confecti: Atcertè rectè dictum à nonnullis sincerioris Philosophiæ patronis: Galenicos magnorum morborum adulatores esse, non curatores, quod experientia ipsa in cura caduci testatur. Nam si medicamenta prædicta cruda adhuc nil efficiunt in curatione caduci, ægri a Pseudomedicis negliguntur, tanquam incurabiles. Caduci enim cura non est in salvia, lavendula, majorana. Mirum autem non est, caduci originem non credunt, dum sensibus non percipiunt. Caduci autem remedia sunt duplicia, Corporalia & spiritualia, quædam junioribus solum conducunt, quædam senioribus, quædam puellis, quædam fœminis: quædam curant frigiditate, quædam forma specifica, quædam vi anodyna. Infantibus & junioribus confert oleum succini, infantibus gutta una in aqua fœniculi administrata, item aqua hirundinum est præstantissima junioribus & infantibus etiam inuncta naribus, ut oleum succini. Infantibus & junioribus exhibentur quoque olei coralliorum guttæ duæ. Auri potabilis prima dosi gutta una, secunda dosi duæ, tertia tres guttæ, quarta quatuor, est enim res fortissima, cum judicio igitur adhibenda: Olei succini guttæ tres administrantur in liquore (puta aqua lilii convallium) junioribus, qui attigerunt annum XVIII. vel. XIX. Olei flavi cafuligine quercina, septem guttæ senioribus administratæ in aqua lilii convallium caducum tollunt. Caduci remedia sunt quoque quadruplicia, respectu quatuor Elementorum. Caducus igneus gravissimus tollitur essentia Antimonii, Paracelsus in labyrintho Medicorum fol. 222. Destructor Microcosmi sumit realgar, hoc est, Ens veneni, & minatur ei mortem infectione. Conservator Microcosmi sumit flores Antimonii, & vincit destructorem. Ita flores Antimonii conferuntur cum interno balsamo humanæ naturæ, ut summa & maxima virtus contra omnia venenorum genera. Caducus igneus tollitur quoque arcano hirundinis, Caducus aëris curatur per therenia bin * caduci aërei & plantaginis eadem est signatura. Caducum aquæ tollit essentia crystalli, viscus quercinus. Caducus est astris terræ tollitur semine Pœoniæ, papaveris, aliorum. Universalia, Aurum potabile, quinta essentia auri: magisterium perlarum, tinctura corallorum, magisterium antimonii, extractum sulphuris, Mercurius reverbaratus, oleum & phlegma vitrioli Romani, Ungarici Tartari crudi, olei & phlegmatis vitrioli ℈ß. in aqua vel vino manè & vesperi ad consumptionem paroxysmi. Plura vide in libro de morbis amentium, sub cura caduci, apud Paracelsum, tractatu secundo, capite primo.

Erroneus & reprehensus.

Cura caduci ignei.

** Est species Manna.*

Cura caduci aerei & aquei & terrei.

CAPUT VIII.

De Gutta.

GUTTA est synovia suæ partis, à qua parte procedit. Sequitur ea ista parte illius dolor & paroxismus, hoc est, quando synovia separatur & deserit membrum, tunc adest aut apoplexia aut paralysis. Apoplexia, quando deserit membrum principale. Paralysis, quando membrum minus principale. Synovia est partis suæ nutrimentum & conservatio retentivæ & motivæ virtutis, ex viribus virtutis degestivæ. Synovia habet virtutem attractivam, retentivam & motivam. Exempli gratia, quicquid renes attrahunt, attrahit synovia, hoc est, cœlum inferius, radia & ipsa essentia vitæ, à Fernelio Spiritus insiti, dicta. Corpus verò & substantia renum nihil attrahit. In Philosophia enim dictum est, actiones non ex partibus & corporibus procedere, sed ex facultatibus partibus inhærentibus. Quando synovia separatur a parte aliqua, tunc statim insensibilitatem facit, & privationem motus, quam sequitur aut apoplexia aut paralysis. In synovia enim est virtus sensitiva & motiva, non in parte. Guttæ species sunt apoplexiæ, paralysis linguæ, membrorum &c. Lethargus, oris curvatura. Paracelsus ait: Guttam generari ex veneno Martiali. Item alibi: Gutta ex conjunctione astrorum oritur: ex conjunctione venenum: venenum autem accenditur ab igne Microcosmi. Eodem tractatu dicit: Phlegma est tantum excrementum cerebri, apoplexia vero non est extrementum, sed res subtilissima ea astris arcanis firmamenti. Item: Gutta in Microcosmo est fulmen Macrocosmi. Quemadmodum autem fulmen liquefacit ferrum, salva manente substantia, vel remanente corpore ferri: ita etiam Gutta liquefacit * cerebrum, cor, pulmones, quasi cera ab igne liquefacta & in massam compacta, partibus illis salvis manentibus. A cerebri arce vel vertice capitis ferit membra exteriora, manus, pedes, comburit & consumit vim, virtutem sensitivam & motivam illius membri. Sic ferit linguam, & sequitur privatio loquelæ, salva movente substantia, sed non essentia linguæ. Quod manifestè demonstrat spiritualem & astralem morbi essentiam, dum spiritus agunt. Cum fulmen Microcosmi ferit pulmones, sequitur suffocatio. Pulmones enim carent facultate sensitiva, attractiva & motiva. Ita homo suffocatur à fumo fulminia Microcosmi, quod sæpius videmus in Macrocosmo fieri. Ita quando ferit cerebrum, jam liquefacit cerebrum, & sensum motumque aufert, jam mortis periculum indubitatum adest. Idem etiam de corde, epate, oculis intelligendum atque auribus. Capite sexto de origine morborum ex tribus substantiis, lib. 1. Paramiri: Apoplexia non debet appellari apoplexia, sed Mercurius cachymialis sublimatus. Sed quomodo Mercurius potest esse causa apoplexiæ, cum Paracelsus dicat esse speciem guttæ, guttæ verò causa est fulmen, fulminis causa sulphur & sal, ut duo contraria? Favore ac patrocinio unitatis in naturæ Academia omnes hæ locutiones admittuntur. Ex lemine nascitur apoplexia vel ex uno ex quatuor Elementis, vel ex igne vel aqua, ex sulphure, sale vel Mercurio. Multa enim hic unita sunt, quæ sensus non possunt discernere, ut: radices seminales, corporum principia, & dicta Elementa, in quibus omnia

Synovia quid.

De pestilitate tract. 3 cap. 1. De Gutta part 4 fol. 154.

Eod. loc. fol. 148.

** non quidem corporaliter sed spiritualiter, nam sensum & motum ei aufert.*

Essentia Paralysis est spiritualis.

Vide lib. 3. Paramiri de orig. morborum ex Tartaro, tract. 6. fol. 186.

Obiectio de causa apoplexia.

Differentia Apoplexia & Paralysis. mnia foventur. Signum verò apoplexiæ est spuma, suffocatio cum contractione. Signum paralysis est alteratio membri & stupefactio partis. Differentia apoplexiæ & paralysis hæc est. Apoplexia membra principalia & totum corpus respicit: Paralysis non lædit membra principaliora, sed tantum partes minus principes, & membra quatuor exteriora. Apoplexia sinistrum latus plerunque petit, & vicinitatem cordis, cujus rationem aliam non invenio, quam quod summum venenum contra maximam virtutem & robustissimum ignem, qui teste Hippocrate est in corde, pugnat. Cum fulmen microcosmi ferit membrum ex principalioribus, illud ægrè restituitur, & est fere morbus incurabilis. *Hippocratis judicium.* Hippocrates enim lib. 2. aph. 42. testatur, Apoplexiam fortem nullo prorsus modo, debilem ægrè curaveris. Nam cœlum Microcosmi destruitur, & omnis concordantia & harmonia violatur. Quando autem ferit membra minus principalia, tunc morbus, quamvis à natura chronicus, curabilis existit.

CURA. IN curatione Apoplexiæ mundificantia & clarificantia balsamum, spiritus & Elementa omnia microcosmi administranda sunt. Cura Apoplexiæ duplex est, Interna & Externa. *Duplex cura.* Interna fit per confortativa: Externa perficitur balsamis. Cura interna fit per essentiam auri, perlarum, Antimonii, gemmarum, coralliorum, lapidum, oleum cranii cum spiritu Vitrioli in aqua lilii convallium, per Mercurium auri, spiritus viridis æris aurificatus, oleum Lunæ, oleum sulphuris, balsamum sulphuris. *Interna.* Cura externa fit per balsamum castorei, lavendulæ, lilii convallium, serpentinæ, helenii, succini. *Externa.* Paracelsus in curationibus suis scribit, se laborantem Paralysi sola essentia Cheyri seu Antimonii in integrum restituisse. Mysterium in apoplexia est solutio Perlarum seu Ol. Perlarum, si quis loquelam perdiderit, huic quinque vel sex guttas infunde in linguam, & recuperabit linguæ potestatem & loquelam. Hoc oleo curavit Thurneusserus Berlini cum laboraret apoplexia. *Vires Olei Perlarum.* Dixit deinde, quam primum apoplecticis absque ulla mora in ipso paroxysmo exhibendum esse id magisterium Perlarum. Ipse enim ita convaluit adhibitis externis quoque remediis, vel recipe. Castorei recentis particulam, & impone linguæ particulam infra linguam: quamprimum castoreum fuerit calefactum, æger poterit loqui. Galenici eadem exhibent medicamenta in apoplexia quæ in caduco.

CAPUT IX.

De Spasmo.

ETSI Spasmus propriè species caduci, & ad caduci curam referatur à Paracelso lib. 3. Paragraphorum, paragr. 3. tamen cum sentientis moventisque facultatis symptoma sit insolens, & acutum malum, quod hominem interimere potest, breviter hoc capite de eo agemus. Spasmus seu convulsio est nervorum musculorumve suam originem versus præter voluntatem perpetua contractio. Galenici dicunt, causam spasmi in spinæ initio contineri, hic interdum totum corpus, interdum partes infestat. *Species & genera spasmi.* Qui totius est corporis, id adeo arctè occupat, ut flecti haud possit. Cumque corpus in anteriora curvatur, Emprosthotonus est, cùm in posteriora, Opisthotonus. Cùm æquali robore in utramque intenditur, Tetanus, id est, distentio. Partis convulsio interdum in oculo, in frontis cute, in linguæ radice, in maxilla, in labris, unde Risus Sardonius *Objecta convulsionum* fit: interdum in brachio, manu, crure animadvertitur, eo scilicet nervo aut musculo affecto, qui partis motioni destinatus est. Apud Galenicos convulsionis causæ multæ sunt, quas omnes Hippocrates in duas contulit, in Inanitionem & Repletionem. *Causa convulsionis.* Ad inanitionem referuntur, quæcunque ab ardente febre, vel ab ellebori alteriusque medicamenti potione, vel ab immoderata sanguinis profusione, vel ab immodicis vigiliis, vel ab inedia, vel labore immodico proficiscuntur, quemadmodum & quæ ex vulnere vel nervi compunctione concitantur. Quæcunque verò convulsio ex phlegmone vel ebrietate & crapula, vel ex suppressa quadam evacuatione consueta, vel ex intermissa exercitatione proficiscitur, ad repletionem referenda est. Causam proximam ponunt pituitam nervo tenaciter impactam. Præter has duas species aliam quoque convulsionis speciem adducunt, quam flatulentam vocant. *Convulsio flatulenta.* Causa est lentus crassusque vapor in nervorum propagines insiliens. Hic ad Paracelsum demum accedunt, & spasmi seu convulsionis causam quodammodo explicant. Paracelsus in tractatu de Colica scribit: Ex nimio cibo & potu generantur (excitantur) venti (flatus) intellige ex cruditatibus. *Causa secundum Paracelsum.* Ab ira exasperantur. Cum ventus enim seu flatibus spiritus salis miscetur, & omnes poros totius corporis penetrat, petit concavitates, juncturas, articulos, synoviam, & spiritus ejus. In illis locis, in quibus versatur & errat convulsiones, spasmum. Paroxysmus durat in consumptionem flatus & spiritus salis. De morbis amentium tractatu 1. c. 4. de origine suffocationis intellectus: Spasmus generatur ex frigore & acetositate, id est, spiritu salis. *Quibus morbis Spasmus accedat.* Cum autem symptoma, notandum est, quibus in morbis concurrat. Spasmus concurrit in Apoplexia cordis, in icteritia rubea, in peste, in vulneribus, in Gutta, in suffocatione intellectus, in caduco in colica, & caduco matricis.

Indicata Cura. CURA. Præcipua indicatio est, membra interiora confortare medicamentis internis. Propterea ejus cura à Paracelso refertur ad caducum: membra verò externa & nervos fovere & corroborare medicamentis calefacientibus. *Interna.* Curam internam & medicamenta interna vide sub cura caduci. *Externa.* Externa medicamenta sunt olea & balsami in loco affecto applicandi, ut ol. Euphorbii. Essentia Euphorbii correcta intra quoque adhibetur, cujus dosis ℈j. cum decocto competenti. Paralysi & spasmo valde conducit etiam; pituitam, quamvis lentam, crassam & impactam nervis & juncturis sine aliqua perturbatione, evacuat, ut & essentia Castorei, extracta cum spiritu vini, cujus guttula tremori, convulsione & omnibus nervorum vitiis summa cum utilitate exhibetur, cum decocto florum anthos, salviæ & betonicæ, & foris quoque apponitur in convulsione, præsertim si fiat non ex inanitione sed plenitudine, & quando quæ in nervis continentur præter naturam evacuare oportet. Ol. thereb. distillatum, intra & extra applicatum, spasmum & convulsiones omnes tollit. Eo inungatur spina dorsi & regio umbilici, item affectæ partes. Essentia quoque Imperatoriæ exhibita tollit quoque omnes convulsionis species, Emprosthotonos, Opisthotonos, Tetanum. Carrichterus in Herbario sub quarto gradu Cancri scribit de Nymphæa cum rubeis & albis floribus arefacta in umbra Septentrionali: si quis Nymphæam appendit lecto, vel suspendit in pariete in momento laborans convulsione vel spasmo sanatur. *Fol. 206.* Hoc præstant omnia simplicia, quæ in aquis crescunt, ut filix * altissima radice in aquis crescens. Plura remedia ex arte signata usus & experientia ipsa docebunt. *

** Vt Mandragora, Napellus, uva-versa, alia.*

CAPUT

CAPUT X.

De Extrementis Cerebri.

Galen. l. 5. cap. 4. de causa symptomat. Celsus l. 4. cap. 2.

DESTILLATIO Græcis Catarrhus, est supervacanei humoris è capite in subjectas sedes prolapsio. Hoc oomen late patet junioribus, quo tamen veteres eam solum designarunt, quæ in fauces irruit. Ergo destillationis causa atque materis est capitis excrementum. Destillatio descendens ex subjecta sede sortitur uomen, unde versus:

Si fluit ad pectus dicatur Rheuma Catarrhus,
Ad fauces Bronchus, ad nares esto Coryza.

Causa procatarctica Catarrhi.

Causæ procatarcticæ fluxuum capitis sunt potationes nimiæ, somnus meridianus, nocturæ lucubrationes, intempestiva studia, præsertim mox à cibo. Nam vapores orificio ventriculi nondum clauso ascendunt, & cerebrum obruunt, qui vapores resolvuntur in humores, unde destillationes. Catarrhi quoque sunt, quos vocant Suffocativos, quibus plerumque obnoxii sunt multum lucubrantes. Isti catarrhi sæpe magna copia descendunt ad fauces & pulmones, ubi sæpius minantur mortem. Fernelius excrementum capitis distinguit in Internum & Externum. Internum est de quo jam dictum, quod ad membra interiora descendit, & in ventriculis cerebri colligitur. Externum, quod in externis capitis partibus colligitur, maximeque sub cute verticis, quo venarum per faciem & tempora, in caput irrepentium extrema desinunt. Quoties enim hæ vel sero vel humore multo turgent, alimenti reliquias & superflua sub cutem effundunt, quæ præ cuus crassitie atque densitate vaporare foras vix queunt. Hic certè fomea atque fons est omnis externæ destillationis: hinc in externas corporis partes fertur destillatio, in oculos, in maxillas, in dentes, in cervicem, scapulas, brachia, in latera, in dorsum & lumbus, &c. Sed quid multis, hic est fons Galeni & Fernelii morborum. Qui recentis memoria tenuerit, quæ de generatione Tartari in omnibus partibus corporis diximus, hanc Galenistarum sententiam salubri pœnitentia ridebit, nulloque labore & negotio illorum opiniones de externis refluxionibus refutabit.

Catarrhi suffocativi.

Duplex Capitis excrementum.

CURA. Omnis indicatio curationis in eo consistit, ut caput roboretur, fluxus & humiditates supervacaneæ cerebri exiccentur. Interim autem habenda est cura ventriculi, ut faciat officium suum.

Herba convenientes.

Catarrhos tollunt hæ tres herbæ, (puta illarum essentiæ) Melissa, Lunaria, Orminum; capitis humiditates & fluxus purgant & tollunt, sarcocolla, sambucus, anacarde, crocus hortensis. colocynthis, thymus, staphis agria, hermodactyli, pyretrum, euphorbium, thapsia, sal gemmæ. Vide Theophrastum lib. 2. de signis Zodiaci sub signo Arietis. Fluxus capitis, Melancholiam & sanguinem induratum capitia purgant polypodium, ellebotum, pulicaria, cataputia, titymallus, centaurium, agaricus. Theophrastus: Cujus fluxus capitis in pectus descendunt, utatur diacodio, vel diapapavere. Phrisius in speculo lib. 2. cap. 14. Fluxus capitis, qui oculos, aures & gingivas obsident, expellit, consumit, compositio seu electuarium aurea Alexandrina. Phrisius in speculo l b. 2. cap. 14. Plinius lib. 25. cap 8. scribit: Rheumaticis nil magis confert, ac plantago vulgaris. Hiera picra composita cum agarico liberat caput à fluxibus vesperi & manè exhibita pro dosi ℈j. Radicis Mechoacæ ʒj. exhibita purgat sanguinem & fluxus capitis. Contra fluxus capitis & obstructiones ventriculi: ℞ Euphrasiæ, sileris montani, croci, ana ʒj. seminis fœniculi ʒij. Majoranæ, serpylli, piperis, granorum paradysi, ana ʒj. sacchari ʒij. pulverisentur, misceantur, hinc vesperi ʒß. in haustu vini vel cerevisiæ assumantur. Buglossa triplea est, major, media, & minor. Major optima est in corpus sumpta, media habet flores cæruleos, minor rubeos, & est virile genus. Si quis hanc in capite gestet, omnino humida fit, tam fortiter attrahit humores ex capite. Hæc eruda medicamenta aliquid efficiunt, sed longè majores vires habent contra omnes fluxiones spiritus vitrioli, spiritus sulphuris, spiritus therebintinæ, terra sigillata, quæ virtute specifica consumunt dissipant omnem fluxionum & destillationum materiam. Spiritus vitrioli & sulphuris in liquore convenienti tres vel quatuor guttæ manè & vesperi. Terræ sigillatæ ʒj. pro dosi exhibeantur. Præservativa hic ut in omnibus morbis multum præstant. Præservativum maximum sunt flores sulphuris, qui ceu ignis superfluam omnem materiam à natura relictam consumunt, excitant calorem nativum, ut is fortiter agat in expulsione excrementorum. Sed in præservatione maxima cura habenda est ventriculi medicamentis confortantibus, & calorem nativum excitantibus, ne cruditates à concoctione in ventriculo relinquantur, quæ gravissimorum morborum causa existunt. Id autem nullo medicamento melius fieri potest, ac antidoto Mithridati, quæ assumatur singulis septimanis bis vel ter, quantitate pisi unius aut duorum mane jejuno stomacho. Hoc medicam. absorbet pituitam tunicis ventriculi impactam & à cruditatibus relictam. & mirum in modum confortat nativum ventriculi calorem.

Indicium Authoris, de supra recitatis medicamentis.

Præservativa contra catarrhos.

CAPUT XI.

De oculorum morbis, symptomatis, eorumque causis.

CATARRHUS est mater multorum morborum, quæ malos liberos procreat. Oculorum affectus omnes ex fluxionibus trahunt originem, nisi à manifesta aliquam causa producantur. Oculorum affectus duplices sunt, Interiores & exteriores. Interiores dico, qui intra corneam membranam conditi sunt, & quorum origo ab intimis cerebri sedibus ducitur. Exteriores verò, qui vel in cornea, vel extra hanc existunt. Affectuum porrò interiorum, qui visioni obsunt, alii in cernendi spiritu, alii in cerebro, alii in nervo optico, alii in humore crystalloide consistunt. Spiritus, ut acutè & distinctè cernat, debet multus esse ac æthereus. Nam multus, si crassus quoque sit, & longinqua & vicina quidem videt, vix tamen discernit. Paucus verò, licet æthereus sit, lusciosos tamen facit, qui propinqua planè discernunt, distantia haud quaquam vident. Paucus & crassus facit hebetes, qui neque distantia vident, neque propinqua discernunt. Sensum hoc ferè vitium est. Cæcitas, obscuritas, omnisque visus imbecillitas, cujus causa in oculo non conspicua est, vel optici nervi, vel humoris crystalloidis vitio exoritur. Optici nervi vitium obstructio est, ex humoris crassioris influxu: aut illius disruptio, ab externis vel internis causis. Crystalloidis peculiare vitium est è propria sede dimotio, aut ex casu, aut ictu, quibus vehementer oculus ipse concussus est. Glaucoma est, crystalloidis aut vitrei humoris in glaucum aut fuscum humorem mutatio.

Glaucoma.

tatio. Hoc vitio impediti aut per fumum aut per nebulam se videre arbitrantur. *Suffusio.* Suffusio est humoris præter naturam vel in pupilla, vel inter rhagoidem tunicam & crystallinum humorem concretio. Is autem è cerebro per opticum nervum prolabitur, idque sensim, ut vix possit initio conspici, quanquam interdum crassa & consummata suffusio uno die congeritur. Etenim si crassus humor repente in opticum nervum incidens subitò obcæcat: cur non is etiam longius ob pupillam prolapsus repentinam suffusionem eamque perfectam inducat. *Pupillæ vitia.* Pupillæ vitia manifestè sensibus patent. Ea sunt dilatatio, imminutio, divulsio & ruptio. Dilatatio sive jam ab ortu, sive postea ex morbo nata sit, visioni obest, ut quæ videndi spiritum universè diffundi atque dissipari sinit. Imminutio nativa, quoniam spiritum cogit atque densat, acutissimam visionem reddit: at morbosa, quoniam causam præter naturam habet, deteriorem facit. Divulsio nec occæcat, nec magnopere visioni officit. Dilatationem porro efficit humor, in in uvea tunica conclusus & redundans, qui illam distendens, illius quoque foramen, quod pupilla est, amplificat. Quocirca oculi prominentiam atque etiam schirrhum, phlegmonem & abscessum comitatur pupillæ dilatatio. At verò imminuitur pupilla angustiorque sit in oculi phthisi & atrophia, & quoties vitreus humor quavis de causa absumitur: tum quippe contracta ruptaque uvea, & in sese quasi convidens foramen coarctat. Iisdem causis atque etiam externarum vi & injuria fiunt pupillæ divulsio atque ruptio. Hi sunt omnes interiores oculorum affectus.

Externi morbi. & primum caligo. Nunc de externis, qui corneæ & adhærenti membranæ insident, agamus. Caligo est tenebrosa visio ex crassiore densioreque facta tunica cornea. Rarum hoc vitium ex morbo, ex senectute frequens, qua certæ membranæ, quemadmodum & ungues crassescunt. *Nubecula.* Nubecula tenuis est humor corneæ inhærescens, cujus adhæsu laborans putat se per nebulam, per vaporem aut fumum omnes res intueri. Hic verò humor sensim crassescens, tandem albuginem parit. *Albugo.* Est enim ALBUGO crassus & albus humor in cornea, aut etiam supra hanc concretus atque densatus, ut omnem plerumque videndi aciem perstringat. Sensim quidem hæc duo vitia succrescunt, ac sæpe ex ophthalmia & epiphora. Interdum & ex proprio fiunt humore lento, qui ob pupillam effunditur exiguis spatiis, quæ sunt inter membranam adhærentem & corneam. *Allucinatio.* ALLUCINATIO fit cornea tunica alieno colore infecta, quo etiam foris omnia tincta cernuntur: ut in icteto, & inflammatione rubra. *Rhexis.* RHEXIS est ejusdem corneæ ruptura, vel sectio, vel eversio, è qua primum albugineus humor emanat, oculumque multo minorem relinquit. Deinde Rhagoides tunica procidit, ac tum oculi est PROCIDENTIA, πρόπτωσις. Ab hac diversa est oculi CONFUSIO, in qua humores ex ictu permisti confusique sunt, citra eruptionem ullam. *Confusio. Affectus Corneæ.* Atque tantum de affectibus. Corneæ membranæ adhærentis affectus sunt UNGUIS, nervosa, dura *Unguis.* & albicans membranula, ex angulo sese obtendens, & plerumque pupillam contegens. Oritur ex adhærente membrana sensim, multoque tempore increscente, si permittitur. Omnium enim frequentissimè oculos infestant Epiphora & Ophthalmia, ex quibus & dolores sanè quàm acerrimi, & alii plerique morbi expullulant. *Epiphora.* EPIPHORA est tenuis humoris impetus, lacrymarum specie in oculos factus. Is autem humor alias sine dolore, calore, aut rubore; aliàs acer est & salsus, qui & dolore, & acrimonia, ardore & rubore molestus est; unde & palpebrarum sequitur exulceratio. *Ophthalmia.* OPHTHALMIA est oculi plegmone, ex oculorum angulis in totam adhærentem membranam infusa. In hac tenues oculorum venæ turgent, & quæ in oculorum albo obscuræ fuerant, conspicuæ fiunt: plerunque quicquid album fuerat, rubescit, summus ardor atque dolor affligit, qui acrium sæpe lachrymarum fluxionem accersit. Tum sanè huic magna est similitudo cum Epiphora, sed inter se distant, quod in ophthalmia album oculi, in Epiphora solùm palpebræ & cilia rubescunt. *Vitia Palpebrarum.* PALPEBRARUM vitia sunt scabies & pruritus. Ἐκτρόπιον palpebræ est INVERSIO, *Inversio.* qua pars ejus rubra interior prominet. Oritur autem vel ob cicatricem, vel ob carnis subditæ exsuperantiam. *Grando.* GRANDO tuberculum est durum, palpebræ ferè superiori innascens. *Hordeolum.* HORDEOLUM tuberculum calidum in abscessum fere desinens, quod è palpebræ margine, & è cilio prorumpit.

CURA AD fluxionem oculorum. CURATIO. Ad fluxiones & destillationes oculorum tollendas administrandæ sunt medicinæ, quarum mentionem fecimus sub cura catarrhi. Spiritus vitrioli est deoppilativum maximum, expedit omnes obstructiones. Spiritus sulphuris omnes capitis tumores & fluxiones coniunxit. Sic quoque Oleum Lunæ. Exterius verò, medicinæ ut plurimum à Chirurgia administrantur, neglectis interioribus, propterea in magnis oculorum affectibus curandis rarò aliquid laude dignum consequuntur. Si proverbium tritum & pervulgatum: Uno collyrio mederi omnibus: in ullo morbo locum habet, certè hic inveniet: idque commodissimè dici potest de Tutia Magistrali, qua Paracelsus non solum oculorum lachrymas, tumores, dolores, sed etiam ingentem superciliorum cruciatum, atqui etiam ubi carnea excrescentia visum omnino præcluserat, sese curasse affirmat, qui desperati videbantur, etiam illis medicis, qui profitentur Ophthalmiæ seu Oculares appellantur. *Virtutes Tutiæ.* Tutiæ vulgaris præparatio hæc est, ut candens vomis extinguatur in vino calido. *Tutiæ præparatio.* Theophrastus autem sic applicat. *Applicatio.* ℞ Tutiam præparatam, pone in panno lineo subtili, deinde intinge vino Cretico, quo lava sæpius oculos. Ex saccaro seu sale plumbi fit balsamus pretiosus ad ophthalmiam & inflammationes oculorum, dummodo prius optimè dulcoretur & præparetur. Lythargyrion, Tutia, Cadmia vera, spodium, omnia illa ita rectè possunt præparari spiritu vini aut aceto, & mitia adeo reddi, ut citra morsum maculas & excrescentias oculorum tollant, inflammationes, doloresque summos sedent. Crato cuidam Medico excellenti familiariter dixit, magnum *Cratonis Secretum.* esse remedium oculorum malè affectorum, si comminuas atque conteras Lapidem Calaminarem, in tenuem pulverem, & cum medulla ossis bubuli liquefacta commisceas formâ linimenti, quo oculos clausos inungas, sed lavandum esse flexum cubiti lixivio acri, ut ibi excitetur pruritus.

(Qui plura de oculorum affectibus cognoscere cupit, legat Ophthalmoduliam Georgii Bartschii.)

CAPUT XII.

De aurium morbis, symptomatibus, eorumque causis.

Parotis. PAROTIS inflammatio est, in iis potissimum partibus erumpens, quæ pone & circa aurium radices consistunt. Hæc notas omnes phlegmones habet,

habet, tumorem, ruborem, calorem, pulsantemque dolorem, nisi quod interdum fit, œdematis sit particeps. Hanc Galenici humoribus calidis eò confluentibus adscribunt. Nos verò spiritibus arsenicalibus illam inflammationem pestilentialem in glandulosis sedibus ponè aures assignamus. Impossibile certè humorum calidorum affluxum tantam inflammationem posse concitare. Resolutis hisce seminibus plurimos vapores producunt febrium signaturis vestitos. Ita enim in superficiebus sulphuris eorum spirituum salium tincturæ latent, quæ ubi vitalibus Elementis humanæ anatomiæ permiscentur, frigiditates, horrores & rigores gignunt. Sequuntur resolutiones & vapores sulphurei, inflammabiles, similares Elementa humana iisdem signaturis inquinantes. Hinc pulsuum alterationes, sitis, fastidium & nausea cibi, vomitus inquietudo, vigiliæ, & multa hujusmodi incommoda sequuntur. Symptomata auditus sunt sibilus, tinnitus, sonitus, strepitus omnisque depravata auditio. Ea motu & agitatione eorum nascuntur, quæ intimam aurem occupant. Hæc ut varia sunt, & variè impelluntur: ita & varios sonitus edunt. Sibilus ex flatu tenui, exiliter elabente: tinnitus ex illius cursu interrupto: sonitus ex crassiore plenius erumpente: strepitus ex impulsu valido. Gravis porrò auditio atque surditas fit vel cerebro, vel primo audiendi organo, vel aut sanfractu, aut læso aut impedito. Causa quæ cerebrum, aut primum audiendi organon occupat, est inflammatio, seu humoria vitium. Ex bile surditatem inferri prodidit Hippocrates. Ab humore quoque crasso & pituitoso penitus impacto & conquiescente crebrior eidem origo est. Hic enim omnium maximè sensus omnes, eorumque functiones consopire solet. Gravis auditio atque surditas, quæ jam ab ipso ortu, & à prima natali die contracta sit, ab his minimè causis, sed à conformationis vitio proficiscitur, quo vel audiendi instrumentum deest, vel certè vitiosam figuram obtinet.

Causa parotidos.

Cura Parotidis. CURA. Hæc talis est, ut primus spiritus effervescentes, ebullientes, inflammati extinguantur, & naturæ quies restituatur: idque moliendum est Laudano opiato Paracelsi. Postea exhibenda sunt medicamenta, quæ venenum per sudores potenter expellunt, qualia sunt Mercurius diaphoreticus, Aurum vitæ diaphoreticum, flores Antimonii. Spiritus tartari cum additione Paracelsi: Terra sigillata cum quantitate Mithridatii exhibita. *Diaphoretica.* Hæc diaphoretica non semel tantum exhibenda sunt, sed bis, ter, quater, donec venenum omnino expulsum, consumptum, & æger viribus restitutus. *Cura interna.* Sibilus, tinnitus, strepitus, sonitus medicamentis internis sub catarrho enumeratis tolluntur. *Cautela.* Non omnino tutum est, in gravi auditione & surditate auribus aliquid immittere. Interdum enim à vaporibus in instrumentis auditionis existentibus: interdum ad humoribus & obstructione hic affectus exoritur, & si minus convenientia medicamenta exhibentur, malum exasperatur. Si malum exortum est ex humoribus, ægro exhibeantur tres pilulæ de Hiera picra Galeni, illæ humores ex instrumentis auditionis extrahunt, & caput ab illis liberant. *Experimentum.* Artifices habent fistulam argenteam, curvam eam imponunt auri, & illam perflant; si æger percipit auram frigidam, non est ex obstructione surditas. *Cratonis experimentum pro surdastris.* Crato, Medicus peritissimus recipit Carduum benedictum, adspergit aquam Cardui, & facit, ut denuò destillet. Hoc liquore linteolum imbutum Surdastris immittit in aurem, si doleant vel si non audiant. Nihil ex omnibus medicamentis, quæ expertus est, se conducibilius comperisse fatetur. Quidam Ol. Therebinthinæ guttam unam, immittunt in aures, idque repetunt, & hoc modo multos à surditate liberant.

CAPUT XIII.

De Narium morbis, symptomatibus, causis.

NARES expurgando cerebro destinatæ suos quoque morbos experiuntur. Morbi narium consistunt vel in ulcere, vel excrescentia carnis. In naribus, ut & in omnibus corporis partibus ulcera quoque fieri solent. Verum ejusmodi ulcera non ab excrementis cerebri & eorum acrimonia, ut Galenici fabulantur, exoriuntur, eo nimirum modo, ut præterlabentia excrementa acrimoniâ suâ nares exulcerent. Sed omnis horum ulcerum causa delitescit in sanguine & venis narium, ut & aliorum in omnibus partibus. *Causa ulcerum in naribus.* Universalis causa ulcerum est Sal, quod separatur à sanguine, delitescens in omnibus venis, in omnibus partibus, corrosivum, acetosum, acutum, acerbum. Destructio Salis, inquit Paracelsus De origine & curatione ulcerum, est causa omnium ulcerum. Huic autem Sali inest arsenicale virus, erodens & septicum. Ulcera plerumque sunt putrida, è quibus crustula sordidior atque graveolens mucus excidit, Ozæna appellatur. *Ozæna.* Theophrastus De Ulceribus cap. 59. vocat Exituram. Laborans tum sibi ipsi graviter olet, tum vicinis tetri spiritus contagione molestus est. Sæpe illic ulcera diuturna serpunt, quæ vel narium alas, vel earum interstitium, vel alia tenella ossa exedunt, magnaque deformitate putrefaciunt: quia & exesum palatum sæpe perforant: idque maximè, si vel carcinomatis speciem habent, vel è fœda lue venerea, quod creberrimum est, contracta sunt. Recentibus vulneribus neglectis caro plerunque excrescit, quæ Sarcoma appellatur. *Sarcoma.* Ea cum longitudine ita excreverit, ut jam è nare foras quam pendeat, aut in fauces relabatur, Polypus vocatur. Caro enim illa similis est carni piscis, qui à multis pedibus Polypus nominatur. *Polypus.* Galenus De composit. Pharmacorum lib. 3. cap. 5. Item, De tumore præternaturali cap 56. Ægineta lib. 6. cap. 25. *Odoratus symptomata.* Odoratus symptomata sunt, odorandi imminutio vel abolitio. Odoratus perit vel imminuitur, impedito narium Ethmoidisque ossis meatu, quo spiritus ac odor duci solet: idque vel sarcomate, vel polypo, vel phlegmone, vel gravedine. Si horum nulla signa comparent, offensionis causâ vel ad priores cerebri ventriculos, vel ad eas propagines, in quibus est odorandi sensus, referri debet. In his vel humorum copia vel corruptela sensum ejusque spiritus contaminat. Circum eas sedes abscessus interdum fiunt, nulla febre, minimo dolore, è quibus ruptis pus sincerum interdum per nares affatim profluit, perinde atque è purulentis auribus, idque nullo incommodo valetudinis. *Gravedo narium.* Gravedo autem pituitosa est destillatio in os Ethmoides ejusque membranas incidens, è partibus quæ circum cerebrum, aut è ventriculis ejus effusa. Ea caput ingravescit, respiratio difficilior evadit, nec nisi hiante ore anima duci potest. Vox non ut ante sonora, nonnihil liquoris profluit è nare, principio tenuis, deinde crassiusculi. E naribus porrò sanguis erumpit, ex aperta, rupta, vel excesa vena eo desinente. Hæmorrhagia narium vel Impetus a Medicis dicitur. *Hæmorrhagia.* Venæ in nares non ex intimo cerebri, sed ex oris palatique sedibus excurrunt, satia quidem detectæ & patulæ, ut quasi emissarium sint, supervacui sanguinis expellendi.

CURA. Ulcera naris, Ozænæ seu Exitura curantur Aristolochia. Plin. lib. 25. cap. 13. Thur-neuserus curat Veronica, fœnugræco, satureia filice, pulegio, cicuta.* Qui his ulceribus laborant, illis prodest venæ sectio in mento, cephalicæ, & ex tremitate narium. Optimè verò curantur ejusmodi ulcera per Oleum Saturni, dulcedinem Mercurii, aquam Mercurii, oleum Antimonii, quod Paracelsus describitin Chirurgia vulnerum, & de corruptis vulner. Item Balsamum Martis, Ol. Arsen. Ol. Ceræ. Paracelsus polypum morbum, qui narium est fœtor, curavit Oleo Vitrioli cum aqua Ceræ. Odoratus symptomata, si non ab evidentibus causis proficiscuntur, curantur per medicinas catarrhi. Eruptiones sanguinis variè curantur, ℞ Bursa Pastoris, proserpinacæ (aliàs Polygonon) ana pugill. j. contundantur, exprimatur succus. hujus una atque altera guttula naribus attracta vel instillata sistit sanguinem. In nimio sanguinis fluxu administra quatuor guttas olei Martis, in haustu vini, statim sistit sanguinem. Idem præstat Essentia Coraliorum. Sanguinis fluxus narium à Turneusero in Piso. ne lib. 4. cap. 4. curatur per aquas hæmatidis, lapidis Judaici, rubeæ montanæ. Et si oritur à capitis dolore, per aquas von Näderstein/ (Vide Ranzovium de conserv. valetud. cap. 43. Phrisium in specul. medicinal. lib. 2. parte 2. cap. 1. Alexand. Benedictum lib. 2. cap. 4. 5. 6. 7. 8. 9. &c.

CURA. Lib. 5 c. 40. * Schirr-ling/oder Wüttrich Rulandus. Venæ sectio. Cura eruptionis sanguinis. Hæmorrhagia.

CAPUT XIV.

De faciei orisque vitiis, eorumque causis.

CUTIS, quæ faciei obtenditur, quoniam subjectæ carnis portio quædam est siccior, vitia contrahit cæteris partibus insueta. Ejusmodi inprimis suntardentes pustulæ, quæ tum in naso, tum in reliqua facie magno fœtore extuberant. Galenici harum causam statuunt, tenuem biliosumque sanguinem. At Paracelsus omnia genera pustularum ex Mercurio generari, & pustulas Mercurii morbum esse, lib. 6. Paragraphorum cap. 3. Lepræ pustula oritur. Eodem libro cap. 4. Pustulæ sunt signum lepræ rubeæ. Idem dicit, ex sale, (intellige Mercurii) generantur Alopecia, pustulæ, cicatrices, condylomata, lepra, morphæa. Eodem lib. 4. Pustulæ, morbus Gallicus, lepra, ortus sui primordia adscribunt Mercurio. Hujusquoque ordinis est rubor faciei universus, præter modum, sine pustulis efflorescens, à Medicis Gutta Rosea nominatur. Color citrinus, lividus, albicans, aut alius fœdatus color non intemperiei Epatis adscribendus est, sed humori radicali & Mercurio Microcosmi, qui prout se habuerit, tales quoque erunt flores seu colores faciei. Color enim faciei nil aliud est, quàm flos Mercurii Microcosmi. Ejusmodi deformitatum ingens est numerus, quæ quoniam corporis functionibus haud quaquam obsunt, non inter morbos, sed quod omnino præter naturam sint, inter symptomata recenseri debent. DENTES variè affici solent. Modò enim aut exerti, aut longiores prominent, modò atteruntur, aut mandendo, aut externarum causarum vi. Nigrescunt etiam & fœdo lentore obcuntur, detergendi incuria, dulcium & calidorum usu, expiratione cruditatis & crapulæ. Vacillant mobilesque fiunt externâ causâ, concussi; itemque cum eorum radix multo humore madet, laxiorque fit alveolus. Dolore conflictantur gravissimo, idque ferè ob destillationem, quæ vel in maxillæ membranam, vel in dentium nervum, vel etiam in corpus decumbit. Gingivæ interdum præter modum luxuriant & excrescunt, adeò, ut dentes prope obtegant, iis potissimum, quibus molles & spongiosæ sunt, & qui locis aquosis vel humidioribus, ut nautæ, degunt. Aphthæ ulcera sunt non admodum cava, in quamvis oris partem serpentia, in palatum, in gingivas, in linguæ latera, atque radicem. Hæ infantibus familiares, sed adultis quoque efficit halitus calidior è jecore. Illas etiam interdum gignit pituita salsa profluens à capite. In febribus quidem hæ frequentes, nonnunquam etiam sine febre graves, quales nonnunquam mensibus suppressis observantur.

De tribus primis pustulis. Paragraph. cap. 5. Li. de vermib. de orig. morb. invisibus & latent. cap. 5. Gutta Rosea. Color faciei. Dentes. Aphthæ. menstruorum suppressorum symptoma.

CURATIO. Extra controversiam est, pustulas generari ex sanguine impuro, h. e. ex veneno Mercuriali in sanguine delitescente. Cùm autem similia similibus curentur, & contraria contrariis: universa pustularum genera Mercuriali essentia radicaliter tolluntur. Hæc essentia Mercurialis in nullo metallo tam manifesta atque conspicua est, quàm in Mercurio. In nullo minerali tam præstans & excellens atque in Antimonio. In nullo ligno potentior quam in Ebeno, fraxino, Guajacino, juniperino. In herbis non efficacior, ac in Brassarella, * Persicaria, Serpentina. Eadem est cura Guttæ Rosæ, nam inveterata nullis externis medicamentis tollitur. Maculæ faciei, item guttæ rosaceæ, in principio curantur Lacte virgineo, cujus descriptio talis: ℞ Lithargyri argenti ℥ iij. pulverisetur lib. ß. aceti fortis vini, misce, filtra per saccum vel linteolum. Hanc aquam misce cum aqua salis, quæ aqua sit confecta ex ℥j. salis bene pulverisati. ℞ quoque lib. ß. aquæ pluvialis, misce hæc omnia optimè, videbis aquam albam instar lactis, quæ vocatur Lac virginis. Hoc lacte lava Guttam rosaceam & maculas faciei. Quidam coquunt Lythargirion cum aceto, alii addunt Cerussam, quæ omnia approbantur.

Cura colorum faciei fœdorum consistit in instauratione & renovatione humoris radicalis. Oleum succini curat intolerabiles dentium dolores, pustulas, aphthas, gingivas corruptas, & nigros dentes reddit albos. Gummi ex oleastro, præ sertim illud quod mordax est, gingivas corrosas & corruptas adjuvat. Barthol. Anglicus contra dolores dentium: Inunge Oleum Hyperici, parti dolenti, & fove calido linteolo. Si dolor provenit ex destillationibus, utere tribus vel quatuor guttis spiritus vitrioli in spiritu vini, consumit & dissipat fluxiones. Guttam unam atque alteram Spiritus Vitrioli infunde denti dolenti, statim cessat dolor. Præsentissimum remedium contra dolores dentium. ℞ Semen lentisci contusum, pone in linteolum sive sacculum, & ad intra admove dentibus. Habet miram vim extrahendi viscosos humores, ac leniendi, ac tandem tollendi dolores.

Vis & Essentia mercurialis. * Deben quibus pravo loco, vel Ophioglossa. Lac virginis. Cura fœdi coloris faciei. Vide infra Capite 16 sub cura dolorum Φθάσως. Lib. 17. cap. 24. Magistrale contra O-dontalgiam.

CAPUT XV.

De lingua fauciumque morbis, symptomatis, causis.

LINGUA nobile corporis membrum suos quoque morbos habet, quorum quidam sunt curabiles, quidam incurabiles, ita ferè incurabiles Blæsitas & τραυλότης & ψελλότης, Blæsitas & Balbuties, vitia magis sunt quàm morbi. In ea oris parte molli & laxa, quæ sub lingua est, & cui ea incubat, atque quasi vinculo alligatur, tumor colligitur, Batrachus dictus, qui interdum Phlegmones, sæpius Oedematis laxi & mollis speciem exhibet, è quo

Blæsitas & balbuties incurabiles.

aperto

Batrachos sive Rana. aperto mucus prosilit, albumini ovi similis. Hoc ulcusculum, quod Græci Βατράχιον, Avicenna Ranulam vocat, infantes solet infestare: quod illis à suctione oritur. Tauri quoque ut Columella refert lib. 6. cap. 8. Aëtius dicit, esse tumorem earum partium, quæ sub lingua sunt, præcipuè autem venarum, *Lib. 3.* lib. 8. cap. 39. Ægineta scribit: Batrachus est tumor ad inflammationis similitudinem sub lingua erumpens. (De linguæ morbis consule Alexand. Benedictum lib. 5. cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. &c. & Theophr. De ulceribus cap. 25.)

Tonsillarū tumor. Tonsillæ sæpe tument imbutæ destillatione frigida, ac tum quidem sub maxilla tumor tactu visuque intus animadvertitur, hicque ceu frustulum quoddam faucibus inhærens mole sua premit, obstatque, ne cibus & potus facile descendant, idque sine *Inflammatio tonsillarum.* siti, sine ardore. Sed & interdum inflammatio tonsillas exercet, quæ partis nomen etiam sortitur. Hæc tumoris notas præ se fert, præterea dolorem & ruborem, ardorem atque sitim. Concocta materia, interior cuticula facile disrumpitur, abscessuque facto, pus in os & fauces emanat, hinc ulcus sequitur sordidum, ex quo graveolens fit expiratio. Oritur ejusmodi ulcus frequenter citra phlegmonem ex humore salso vel acri, qui molles, humidas, calidasque tonsillas prorsus exedit. Nonnunquam & ex contagionis labe incipienti lui Venereæ familiare est. *Casus uvulæ.* Sed & Columella è palati extremo propendens plerumque molesta est. Laxior enim longiorque evadens in fauces & œsophagi caput illabitur, titillatione molesta, qua qui afficitur, hanc perpetuò frustrà vorare conscindit, metuitque, ne ejus impetu stranguletur. Hoc vitii nascitur, cum uvula humore mul-*Inflammatio columellæ.*to, superne defluente madet atque perfunditur, quin etiam columella seu gurgulio interdum inflammatur tumetque cum rubore & ardore, ac tum in fauces illapsæ majore tædio quam relaxata suffocationis metum conciat. Cùm per inflammationem illius pars ima crassa, summa verò tenuis & nigricans apparet Σταφυλὴ (inquit Hippocrates) id est uva, appellari solet, siquidem figura, colore atque magnitudine est uvæ acino persimilis.

Angina. Angina affectus est, fauces, id est, summas gulæ gutturisque partes, per quas tum cibi potusque, tum spiritus introitus est, præcludens. In hac difficilis fit respiratio, deglutire vix licet, ac proinde potus resilit in nares, dolor acerbus fauces occupat. Angina enim ab Angendo dicta, quod guttur angat, vi-*Angina malignitas Instit. lib 3. cap 1. Lib. 2. de Tartaro tract. 2. cap. 5.* amque spiritui intercludat, Græcè Synanche, Συνάγχη est inflammatio in gutture vel faucibus ἀπὸ τοῦ συνάγχειν, i. e. à soffocando aut strangulando dicta, ubi inquam nigredo & adustio occupat, est genus morbi acutissimi & exitiosissimi, inquit Fuchsius, quo fauces anguntur & strangulantur. Paracelsus anginam Brunellam vocat. Sic autem definit: Brunella est *Fol. 322.* passio principalis cum paroxysmo proprio, existens in caloribus, ducens originem ex salibus vitriolatis *Signa.* contra regionem propriam & ipsam naturam pugnans, una de speciebus Pleuresis & Pestis, cum caloribus vitriolatis. In explicatione hujus capitis. Signa ejus sunt, quod primò in faucibus & lingua ru-*De Tartaro tract 2. c. 4.* bedo venit, postea niger color: tertio quasi prunæ candentes linguæ impositæ essent, & erumpunt in lingua tubercula, & duo tresve colores sunt vera signa Brunellæ: reliqua signa sunt, ut in Pleuresi & Peste. Paracelsus: pestis, Brunella ex sale arsenicali oritur, sed spiritus sulphurei in Brunella prædominantur, & *Causa secundum Galenistas.* Brunellas cerebri, pectoris, ventriculi, epatis, gulæ, & omnium partium constituunt. Galenici Anginæ seu Brunellæ causam statuunt fluxionem biliosam aut sanguineam, quæ è venarum jugularium ramis eò pertinentibus in has sedes influens vel Erysipelas vel Phlegmonen parit. Febris anginæ seu Brunellæ comes est individuus, Brunella symptoma quoque est pestis aëreæ.

CURATIO. Ranæ seu Batrachi cura est. ut *Cura Ranæ* Spiritus seu Olei Vitrioli guttæ iij. in sedecimam partem mensuræ aquæ fontanæ, infundantur, bene temperentur. In hanc aquam intinge plumam, & line ulcusculum sive Ranam. Vel Fiat Gargarismus. Aliud ℞ Herbæ pulegii. origani, mentastri ana partem unam: Radicis pyrethri, urticæ ana ℥ij. Iridis Florentinæ ℥j. Raspati ligni Guajaci ℥ß. Incidantur & contundantur, coquantur in aqua, fiat gargarismus, ter in die, postea inunge Diamoron Abbatis: Vel, Contunde nuces cum melle rosato, adde parum piperis & salis, inunge sæpius.

Tumorem tonsillarum & gurgulionem in fauces illapsum efficiunt destillationes. Sublata igitur *Ad tumorem tonsillarum, & laxitatem columellæ.* causa tollitur effectus. Id autem perficitur maximè Spiritu & oleo Sulphuris, quam vehementer destillationes exsiccat. Columellæ laxationem curat fumus de succino. Qui habet uvæ & tonsillarum inflammationes, hirundines comburat in olla, & utatur cum melle & aqua. Matthiolus in Dioscor. Alexan. Benedictus lib. 7. cap. 5. 6. Gualterus Riffius *Ad læsas fauces.* in Germanica Chirurgia part. ult. cap. 29. Fauces oblæsas curat Syrupus jujubinus & violaceus, ana, misceantur. Item, ℞ Diamorum, aquam prunellæ, & succ. rosarum, impone in ollam, misce, & calida facta mixtura, fiat gargarismus. Vel: Diamoron ℥j. aquæ salviæ & prunellæ ana ℥ij. Spiritum vini cum Camphora mixtum ℥ß. misce pro gargarismo.

Aqua nobilis ad omnia faucium ulcera. ℞ Di-*Aqua magistralis ad fauces.*midiam quartam spiritus vini, Camphoræ ʒß. impone in spiritum vini, stent tecta per noctem, altero die accipe quartam unam vini Rhenani, & impone hæc sequentia pulverisata: Aluminis ℥ iiij. thuris, mastiches, myrrhæ. ana ℥ß. & fac bullire, remove ab igne, & infunde spiritum vini cum Camphora, & coque usque ad tertiæ partis consumptionem, cola *Paracelsus de Tartaro lib. 1. tract. 2. cap. 5.* & serva in vitro. Prunellæ cura eadem est cum peste, qui prunellam fundamentaliter & radicaliter vult curare, necesse est, ut primum auferat febrim. Prunella enim seu angina respectu linguæ & faucium ex febre oritur, febris ex oppilatione epatis, oppilatio ex veneno arsenicali radicitus expellit Catholicum nostrum Diaphoreticum. Item. Alexipharmacum obstructiones liberat, naturam confortat, & cessat febris. Summum medicamentum in Brunella est Laudanum perlatum Paracelsi in aqua Prunellæ administratum, extinguit enim calorem & fervorem spirituum, sed causam & radicem ipsam non tollit. Postea habenda est ratio linguæ & faucium. Optimum medicamentum in prunella est Sal nitri præparatum, solutum in aqua prunellæ fiat gargarismus ter in die, mane, meridie, vesperi, & qualibet vice rade lin-*Gargarismus.*guam, & ablue fontanâ. Culter quo rades linguam conficiatur ex ligno salicis. Hoc in Ungaris sæpius probatum est. Sal nitri autem hoc modo præparatur: ℞ Salis nitri liquefac in tigulo, quo aurifabri *Aliam Nitri præparationem vide infra cap. 26. de morbis vesicæ* utuntur, injice liquefactum Sal nitri Sulphuris particulam, magnitudine duorum pisorum, ita purgatur: Nitrum autem superfluit & crystallinum evadit. Qui laborant Brunella, vitent balnea (Vide Phrisium in speculo lib. 2. part. 3. c. 1. Gualterus Riffius in Chirurg. Germ. part. ult. cap. 30. Barthol. Anglos lib. 7. *Authores consulendi.* cap. 27. Alex. Benedict. lib. 7. cap. 15. usque ad 27. Throphr. de ulceribus c. 41.) Item: ℞ Cancros fluviatiles duos vel tres, impone in mortarium, contunde, affunde acetum vini & aquam rosarum, misce, cola & exprime per linteum, fiat Gargarismus.

CAPUT XVI.

De pulmonum morbis, symptomatis, causis, signis.

PULMONUM quidem appellatione, omnia etiam quæ in eis sunt vasa, ipsamque asperam arteriam notamus. Affectus autem, qui eis incidunt, numerantur: Obstructio, Peripneumonia, Vomica seu Abscessus, & Tabes. Obstructio in pulmonibus, ut & aliis visceribus principaliorum perfrequens est, magnique momenti. Hujus obstructionis in pulmonibus variæ causæ sunt, humorum copia, lentor atque crassities, grando, lapis, seu tartarus liquidus & coagulatus. Affectus qui ex obstructione pulmonum oriuntur, sunt tussis, asthma, catarrhus præfocans, sæpe phthisis. Humorum copia in solam membranam, guttur succingentem destillatione profluens, eamque imbuens, vocem obscurat, ac Raucedinem affert. Hanc etiam gutturis seu arteriæ asperitas nimia parit, sive à fumo, sive à clamore, sive sit à frigore contracta. At si destillatio in gutturis cavum ductumque incidit, Tussiculam cum quodam irritantis acrimoniæ sensu: si in pectus ac pulmones, Veram Tussim ex imo pectore erumpentem movet. Hæc enim fit, cum natura vehementi spiritus efflatione ejusque erumpentis impetu nititur quicquid acrimonia aut obstructione molestum est, excutere: Quemadmodum etiam inter bibendum edendumve cum quippiam in guttur delabitur, fieri consuevit. Verumenimverò quod in pulmones destillat, si admodum tenue est, tussiendo difficulter rejicitur, sed multo quoque difficilius espellitur ac extruditur, quod nimis crassum lentumque est, nec enim abstergi aut dimoveri, vel sursum efferri spiritus vi facile potest. Cùm pauca levisque destillatio, levia quoque comitantur symptomata. Cùm verò magna gravisque, & cum impetu ruit, præfocans quædam spirandi difficultas angit, unde crebra ac celer, & magna est respiratio. Porrò humor crassus & lentus pulmones ejusque arteriam occupans, arida tussi vehementissimè exercetur, qua vix quicquam extunditur, spiritum difficilem reddit, inter spirandum stertorem quendam & sibilum elidit, quod vias coarctet, per quos spiritus vadit. Hisce jam dictis non repugnat, quod Paracelsus scribit, TUSSIM GENERARI EX TARTARO. Per tartarum enim non solùm intelligit arenam, grandinem, lapides vel calculos, sed quemvis humorem crassum, lentum, viscosum, mucilaginosum, tenacem, ex quo tartarus fieri solet. Hic humor crassus, lentus, viscosus cum tempore magisque crassescit atque siccescit, tandem vi caloris in vitream aut etiam gypseam pituitam seu tartarum verum abit; copia ejus in pulmonum fistulis atque cavernis cumulata verum producit ASTHMA, cui opportuni esse solent, qui destillatione & tussi frequenter tentantur, maximè senes, & qui angustis sunt pulmonibus. Ab Asthmate fit ORTHOPNOEA, qua difficilius, nec nisi erecta cervice spiritus ducitur. Hic observandum est, Asthma non solum generari à destillationibus, sed etiam à proprio tartaro pulmonum, qui in pulmonibus, frustrata separatione & expulsione remanet, ut in generali morborum explicatione demonstravimus. Fernelius cum Paracelso hic consentit. Dicit enim, lentum humorem in generatione asthmatis in grandinem concrescere, atque hanc tandem in veros calculos, quibus interdum dissectos pulmones refertos deprehendit. PERIPNEUMONIA est inflammatio pulmonum, cujus radix & causa sunt spiritus arsenicales, sulphurei, auripigmentales: qui non solum in forma resoluta & liquida, sed in forma vaporosa & spirituali ad matrices proveniunt. Confluentiam igitur nacti in anatomia pulmonum, tincturas introducunt & radices agunt, idque citius ac validius, si astra habuerint potentibus tincturis prædita. Quod si tincturæ debiliores fuerint, frequentia & assiduitate opus perficiunt, transplantationemque absolvunt. Deinde à debilioribus partibus tam vicinis quam remotis fomenta rapiunt, donec ad maturitatem pervenerint. Ex nutrimentis assiduè attractis corpora constituunt purulenta, mucosa, sanguinea, cruenta, coagulata, resoluta, graveolentia, rubicunda, nigra, flava, varia, amara, acria, erodentia, aspera, & similibus signaturis notata. Jactis ita radicibus & corporibus constitutis digesta maturitatum & separationum tempora expectant; quibus instantibus, spirituum ebullitio erumpit. Emergentibus hisce seminibus primos vapores producunt, febricum signaturis vestuos, qui vitalibus Elementis humanæ anatomiæ permiscentur, & frigiditates, horrores & rigores gignunt. Postea sequuntur resolutiones & vapores sulphurei inflammabiles, Elementa humana iisdem signaturis inquinantes. Hinc pulsuum alterationes, sitis, cibi fastidium, inquietudo, vigiliæ, deliria, tusses cruentæ, saniosæ & purulentæ, spirandi difficultas oriuntur. Galenici Peripneumoniam faciunt duplicem, unam quæ per se oritur, alteram quæ anginæ vel pleuritidi succedit, cum è faucibus aut e latere humor repente fertur in pulmones. Quæ non alium morbum subsequitur, sed ex sese primam ducit originem, fit ex tenui biliosoque sanguine, è dextro cordis sinu per venam arterialem, in pulmones vehementius & abundantius excusso, qui non modo pulmonis venas & arterias, verumetiam totum ipsius corpus præter modum implens & distendens, coarctatur & putrescit, & pulmonis inflammationem accendit: non eam quidem aliarum more collectam, sed toto viscere effusam. VOMICA pulmonis est ABSCESSUS exiguus, & putris in pulmonis parte quadam collectio, quod pus membranula propriaque cysti adeò arctè concluditur, vix ut quicquam de se tetrum in cor exspiret. Hæc generatur ex venenoso arsenicali, antimoniali, sulphureo, seu radice pestis, quæ puris causa efficiens existit. Galenici causam efficientem statuunt, aut destillationem, aut cum sanguis ex aperta, rupta aut exesa vena in parvam quandam pulmonis regionem succedens illic putrescit, sensimque mutatur in pus, ac per summa siccescens, sibi cystim efformet. Latens profectò ac imprimis abditum vitium, sæpe nec laboranti nec medico notum: quo laborans ipse nec consueta munera intermittit, nec se malo teneri putat, causamque interitus sui nesciens, intus gerit sub pectore. Sic affecti, sublivido ferè sunt colore, eisque lingua lentore quodam est oppleta, maximè cum longe à cibo absunt. Non pauci inopinato è vivis horæ quadrante crepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis causa comparuit, quam repentina vomicæ ruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetraverat, ipsius viam extinguens atque obruens. Omnibus tamen sic affectis multo tempore, antequam vomica rumperetur, cruenta excretio processit è pulmonibus, eaque cum tussi, adfuitque spiritus gravis ac fœtidus, corporis gravitas, pectoris lenis oppressio, & spiritus difficultas, quibus tabes raro comes. Sed hæc signa aliorum quoque affectuum sunt

Causa raucedinis & asperitatis pulmonum. *Tussis causa.* *Tussis arida.* *Causa tussis Theophr.* *Asthma.* *Orthopnoea.* *Peripneumonia.* *Hujus causa.* *Vide Quercetan. de medec. prisc. cor. f. 401. 402.* *Peripneumonia secundum Galenicos duplex.* *Vomica ejusque causa.* *Signa Vomicæ.*

Tabes seu Phthisis duplex.

sunt communia. PHTHISIS sive TABES, aut totius corporis, aut alicujus partis est consumptio: estque Universalis aut Particularis. Universalis quæ fit totius corporis consumptione: Particularis, quæ membri unius. Universalis phthisis proxima causa

Causa Tabis.

est impressio occulta Solis Microcosmi i, quando nimirum spiritus vitalis aut animalis, ut destructor Microcosmi, cœlum inferius destruunt, consumunt, exhauriunt (intellige Microcosmi conservatorem) quo cœlo destructo partes corporis colliquescunt, & ad cariem festinant. Antecedens seu remota hujus Phthisis universalis causa est tartarus, qui obstruit partes nutritioni inservientes. Ens veneni harmoniam earum & concentum violat, & impedit astra inferioris globi, quominus rosas, violas, melissas, aurum, argentum, rubinos, saphyros, valerianas, vites, fruges ex alimentis producant: ita anatomia sanitatis transplantatur, sterilitatis ac morborum causis intervenientibus. Ita aurum in Arsenicum, melissa in cicutam, Valeriana in Napellum, triticum in lolium transmutatur. Hoc est quod dicit Paracelsus: Destructor (calor innatus) Microcosmi fumit realgar Microcosmi, (intellige transplantationem ex tartaro, id est, quod sanitatis anatomia transplantatur in mortis anatomiam) & minatur ei mortem ac interitum. Sic tabes sæpe generatur ex tartaro Mesaraicorum, quia omnino obstructæ sunt à tartaro, ut nihil nutrimenti aut parum pervenire queat ad epar. Paracelsus alibi dicit: Phthisin generari ea tartaro pulmonum. Sic cerebri, cordis, hepatis, renum, lienis, ventriculi, carnium, ossium, venarum, nervorum, articulorum, synoviæ, medullarum, phthisis est. Tremor indicat cordis phthisin. Tussis & puris excretio est signum phthisis in pulmonibus: Multitudo urinæ indicat epatis & renum consumtionem: quamvis & tussis concurrat in Epatis & renum phthisi; item inflammationes, punctiones & dolores laterum, Ardor fellis signum: Ventriculi gravitas & compressio: Carnis cavitates & scissuræ: nervorum contractio: sanguinis exiccatio: synoviæ dolores: scissuræ cutis, præsertim circa genua, signum incurabilis phthisis. Notandum est, quodlibet membrum principale, quod diutius obstructum est, totius corporis consumptionem producere posse. Nam Eclipsis, magnæ conjunctiones & aspectus humanæ astronomiæ contingunt ex transplantationibus temporum, & confluentiarum prævaricationibus. Vitiatis igitur harmoniæ legibus inferioris & superioris cœli in Microcosmo, inevitabili necessitate sterilitates, marasmi, tabes insequuntur. Galenici phthisis causam duplicem faciunt, ut una quidem sit pulmonis vitiosa constitutio, altera humor exedens: Vitiosam pulmonis constitutionem appellant non intemperatam, sed mollem, tenellam, ac corruptioni paratam pulmonum substantiam. Exinde colligunt, plerosque jam ab ipso ortu & à parentibus latente pulmonum vitio teneri, quo tandem omnes contabescant, etiamsi nulla aut certè minima destillatio è cerebro aut aliunde procumbat. Verùm nos hæreditariam phthisis causam non pulmonibus adscribimus, sed tartaro, & dicimus: qui tartarea & tabida stirpe sati sunt, quasi hæreditario jure omnes necessaria tabe marcescere: hocque malum sæpe vidimus in omnes ejusdem familiæ ordine grassari.

In labyrintho medico, fol. 222.

Alia causa tabis.

Lib. 3. Paramiri de morbis ex tartaro tractata 4.

Signa singularum partium tabis.

Eclipses & conjunctiones Microcosmi.

Causa Tabis secundum Galenistas.

Curatio Phthiseos.

CURA. Tussis, asthma, catarrhus præfocans, phthisis, ex obstructione pulmonum nascuntur: causa obstructionis est removenda & pars læsa corroboranda. Membrum principale in corpore obstructum ad menses duos vel tres, incipit putrescere, ex qua putrefactione varii morbi generantur, & denique mors ex corpore in vitam irruit, ut loquitur Paracelsus de vita longa. Obstructiones omnium morborum totius corporis tollit Spiritus Vitrioli, si exhibeatur ad dies tres vel quatuor manè, in spiritu vini. Obstructione sublata, ad 3. vel 4. dies exhibeatur manè Spiritus Therebinthinæ in liquore convenienté. Is membra corrupta, læsa, quæ jam putrescere inceperunt, sanat & in integrum restituit. Hi duo spiritus rectè applicati multum efficiunt. In curatione Asthmatis nihil utilius est ac balsamus, magisterium seu Oleum sulphuris, cujus guttulæ aliquot in spiritu vini vel aqua hyssopi exhibentur. Oleum Fraxini in asthmate & anhelitus difficultate mirificum est, si ℥ij. singulo mane sumantur. A Thurneusero curatur per oxyacantham, laureolam, & diamoslon. Item per Diacatholicon, diacameron, diamargariton. Phrysius in speculo laudat Philonium majus vino assumptum. Syrupus Hyssopi prodest in dyspnœa. In præservatione tussis, asthmatis, obstructionibus omnibus & putrefactionibus nullum præstantius est medicamentum Floribus Sulphuris, septies sublimatis, quolibet mane. Tussim vehementissimam curant Flores Sulphuris cum sacharo mixti, mane & vesperi ℨj. Aliud: hoc medicamentum pellit omnes obstructiones viscerum, ventriculum imbecillum corroborat, & duritiem lienis emollit. ℞ Radicem Aronis præparatam, rad. Acori vulgaris, & Pimpinellæ præparatas & exiccatas, oculos cancri calcinatos (quorum pro una quaque dosi non ingreditur medius scrupulus) semen Nasturtii & saccharum. Omnium fiat mixtura: dosis est cochlear unum manè. Josephus Quercetanus ait: Absynthium in omnibus oppilationibus magna est medicina. Galenus ibidem: Peripneumoniam esse inflammationem pulmonis cum febri acuta, & difficultate spirandi. Cùm autem in inflammationibus & febribus acutis venenum maximum & radix ipsa pestis dominetur, inprimis laborandum est, ut venenum illud expellatur alexipharmacis, Diaphoreticis convenientibus, spiritu tartari cum additione Paracelsi, floribus Antimonii, ut oppilatio spiritus vitæ auferatur, naturaque corroboretur. Ad expulsionem autem puris quod continetur in pulmonibus, administrandus est Spiritus therebinthinæ cum floribus Sulphuris. Galenici ad Peripneumoniam exhibent Diapenidium, tragacanthum frigidum, diacalaminthum diaprasium, dia Iris Salumonis, Philonium majus, Trochiscos de Camphora. Aquæ Vitrioli & Viridis æris sont salubria Peripneumonicis. Pulmonibus amicus est Mercurius, * quis curat omnes morbos eorum. Item subtilitas succini & ambræ.

Virtus spiritus Therebinthina.

Asthmatis cura.

In Pisone lib 15. cap. 24.

Lib 2. part. 1. cap. 14. & par. 3. tract. 1.6.7.

Præservans.

Magistrale.

In Responf. ad Aubert pag 18. 19.

In definitionibus medicinalibus.

Expulsio puris.

** Diaphoreticus.*

Vomicæ curatio fit per ol. sulphuris, & spiritum Vitrioli. Phthisis cura multorum morborum curam in se complectitur. In vera cura φθίσεως tam particularis quàm universalis omnium membrorum principalium est habenda ratio, ut nimirum obstructiones tartareæ, & oppilatio spiritus vitæ removeatur. Deinde naturæ exhaustæ (intellige cœlum inferius) succurrendum est, & cœlum inferius renovandum & instaurandum. Obstructio membrorum & oppilatio spiritus vitæ tollitur spiritu Vitrioli, ut in principio dictum est. Cœlum autem renovatur mysterio Antimonii, & magisterio perlarum. Hæ duæ indicationes, videlicet obstructionis ablatio, & cœli renovatio continentur in una radice Antimonii Nam essentia illius seu floris naturæ admirabilis consumit omnem tartaream materiam, & aperit omnes obstructiones virtute specifica: deinde novum creat cœlum, contraria consumenda vi ignea, & obstructiones aperiendo totam renovat naturam. Hanc transmutationem naturæ, quæ tinctura Antimonii viget, Paracelsus vocat Transplantationem seu Regenerationem philosophicam, & quidem verè. Nam malam constitutionem, & quidem pessimam in optimam temperaturam convertit, & sicut antea in gene-

Theophrast de rebus naturalibus, cap. 7.

Cura Vomicæ.

Vide supra in tract. 1. cap. 13.

ratione phthisia facta est transplantatio ex bono in malum: ita hic in curatione temperatura malarum proprietatum, in temperaturam optimarum transmutatur & convertitur. Hæc cura, videlicet transplantatio & regeneratio, in omnibus morbis desperatis adhibenda est à Medico; siquidem in omnibus morbis chronicis, acutis & desperatis, Saturnus imperii claves tenet: Antimonium verò Saturnum captivum tenet, & sceptrum Veneri tradit. Magnum quoque arcanum in Phthisis curatione est in liquore margaritarum, qui renovat cœlum Microcosmi. At in removendis obstructionibus non omnino suffi.it. In phthisi pulmonum, quando æger per sputum rejicit sanguinem, administretur spiritus therebinthinæ cum floribus Sulphuris. Atque hæc est vera cura φύσεως, morborum acutorum & chronicorum.

CAPUT XVII.

De morbis Thoracis.

Pleuritis. SECUNDUM Galenicos Pleuritis phlegmone est ejus membranæ, quæ costis subtenditur, fit autem illorum sententiâ ex tenui biliosoque sanguine, qui ex vena cava cordi assidente in eam quæ ἄζυγος nuncupatur, ac deinde in tenues costarum venas impetu quodam incurrit, ex quibus apertis aut disruptis exilit, inciditque aut in musculos mesopleuricos, aut inter costas & succingentem membranam, illicque collectus, phlegmonen veramque pleuritin parit. *Causa secundum Galenum.* Causa porrò quæ sanguinis fluxionem impetumque movet, aut illius immoderata est copia, aut tenuitas, aut effervescentia, aut exagitatio ab æstu, à balneis, ab exercitatione, ab excandescentia, ab ictu, à subita refrigeratione, aut à potione frigida, quæ concalfactum agitatumque sanguinem variè depellit atque dejicit. *Causa secundum Theophr.* Secundùm Paracelsum & veros Medicos Pleuritis dicitur, ubi acuta febris cum tussi, dolore lateris pungente, spirandi difficultate subitò invadit. Generatur autem Pleuritis non ex crasso vel tenui biliosoque sanguine, sed ex seminibus arsenicalibus, antimonialibus, sulphureis, vitriolatis, auripigmentalibus, napellosis exaltatis extremis & potentibus, quæ confluentiam in tunica costas succingente nacta sunt. *Symptomata.* Symptomata sunt ferè quæ in Peripneumonia, quandoquidem ab una & eadem causa proficiscuntur. Hæc interdum etiam generatur ab influentia astrali, cum stellæ Martiales Scorpionis & Cancri morbidis resolutionibus aërem inquinaverint. Pollent enim ejusmodi stellæ tincturis arsenicalibus. Fiunt quoque interdum Pleuritides spuriæ, non quia in musculis & carnibus, epate, liene, pulmonibus, tunica, costas succingente, vel aliis locis radices collocent: sed quia spiritus pleuritidis autores peregrinis conjugiis obligantur. Laterum punctiones proveniunt vel ex lienis & epatis obstructionibus vel è flatibus.

Empyema. Empyema suppuratio est puris, in capacitate thoracis, & collectio, in cujus illuvie pulmo totus immergitur. Eo autem confluxit vel ab angina, vel ex peripneumonia, vel, quod frequentius contingit, ex Pleuritide. His enim tussi non benè expurgatis, abscessus exoritur, è quo tandem rupto pus sæpe universum in thoracis capacitatem influit, atque etiam diu postea sordido ulcere stillat, dum tandem ingens ac pene suffocans copia cumuletur. Interdum ex abscessu pus sursum in os erumpit expuiturque, ac *Signa suppurationis.* tum suppurationis periculo liberat. His autem notis suppuratio deprehenditur, cùm ex prægressa angina aut ex peripneumonia, aut ex pleuritide vehementi nihil pene laborans expuit: pulmonis gravitas, aut faucium aut lateris dolor, simulque febris vehementia subita remissa est: novum gravitatis sensum in imo thoracis ad diaphragma surrectus æger percipit, decumbens verò, aut in alterutrum latus se convolvens, transfluere quiddam & fluctuare. Tussis valida perseverat, sed sicca, & qua nihil aut minimum rejicitur, febricula perpetua, languida, inordinata, ac ferè hectica: perseverans enim suppuratio Phthisin accersit.

Cura Pleuritidis. CURATIO, Pleuritidis vera cura ferè eadem cum curatione Peripneumoniæ: ab una enim eademque radice nascuntur, & saltem locis ac regionibus distinguuntur. Paracelsus pleuritidem curavit per extractionem sanguinis: ex interiore vena cubiti ejusdem lateris, exhibendo simul in potu spiritum tartari in aqua melissæ, inungendo extrinsecus locum doloris cum Oleo murium montanorum. Plures quoque Turpeto seu Mercurio diaphoretico, se curasse asseverat. Huic morbo, teste Joanne Montano, medetur etiam Terra sigillata Strigoniensis in Theriaca Theophrasti administrata: Item, Sulphur & Sal Nitri, quorum præparationes quære quæ in Theophrasto. *Cura Empyematis.* Empyema curatur Oleo seu spiritu Therebinthinæ. Paracelsus in curationibus ait: Nobilis mulier laborabat Empyemate, quæ saniei est excretio, illam sanavi Oleo sulphureis in aqua Cyclamini, melissæ & betonicæ. Si quis sentit dolorem aut punctionem lateris in latere sinistro circum regionem cordis, præsertim noctu, interdum enim nonnihil intermittit: dolor iste provenit ex crassis flatibus. *Flatum circa præcordia.* Assumat seminis Cardui benedicti ℥ß. & cornu cervi usti ℈ß. in liquore conveniente donec dolor evanuerit.

CAPUT XVIII.

De affectibus Cordis.

ET ipsum cor morbis obnoxium est: qui partim proveniunt ab oppilatione spiritus vitæ, partim à putrefactione. Morbi, qui ab oppilatione spiritus vitæ proveniunt, sunt Cordis palpitatio & Vitissa, id est, Chorea S. Viti (ut vocant.) *Cordis palpitatio eiusque causa.* CORDIS PALPITATIO generatur ex tartaro in capsula cordis, quando nimirum Archeus cordis tartarum, qui vaporosa substantia omnibus alimentis inest, non rectè separat aut separatum expellit. Tunc meatus & pori capsulæ cordis obstruuntur, & spiritui vitæ aditus præcluduntur. Hinc palpitatio, hinc putrefactio, hinc destructio, hinc denique mors. Galenici palpitationis cordis causam statuunt bilem interdum in præcordiis, sæpius in liene congestam: quamobrem dicunt, in hoc symptoma plurimum propensi sunt, qui hypochondriaca Melancholia laborant, & quibus lien atræ bilis copia turgescit. *Syncope.* SYNCOPE est species apoplexiæ, de qua actum est in capite de Apoplexia. Joan. Montanus celebris Philosophus & Medicus in tractatu de Terra sigillata scribit, *Lipothymia.* Lipothymiam ex vaporibus elevatis è ventriculo, epate, putrefactionibus & oppilationibus venenosis, qui cor invadentes Lipothymias, palpitationes, aut tremorem cordis causantur, respirationem intercludentes, debilitatem membris inducentes proveniunt. Vide Hippocr. lib. 2. aph. 41. Barth. Anglic. lib. 16. cap. 103. Alexan. Benedict. lib. 10. cap. 10. 11. 12. Galenici dicunt: Syncope est præceps virium lapsus. In hac pulsus aut nullus est, aut extremè rarus & obscurus: corporis summa frigora: tempora, cervix & thorax frigido sudore madent, facies pallet, totumque corpus quasi enervatum jacet. mens, omnisque sensus deficit. Syncopen autem inferunt cordis affectus omnes, præter simplicem intemperiem, sæva animi pathemata, ut timor

mor gravis, voluptas maxima, interdum & mœstitia gravis, dolor atrox, inedia labor, evacuatio immodica, & quæcunque calorem nativum spiritusque dissolvunt ac dissipiunt: cujusmodi causæ sunt febres magnæ & ardentes, & malignæ quævis. Omnis enim quæ in os ventriculi (quod eximii sensus est, & cordi vicinum, inprimisque consentiens) inciderit gravis offensa, in eam syncopen conjicit, quam Stomachicam vocant. *Syncope stomachica.* Idem præstat etiam inflammatio & erysipelas, & à bile compunctio, & venenatus humor, sive illic inhærescit, sive in crure vel in bubone, vel in utero vel intestinis, vel in quovis viscere conclusus, tetrum de se vaporem in os ipsum ventriculi, aut in cor eructat exhalatque. Causæ illæ quas Galenici adducunt in syncope cordia, pleræque veræ sunt: quædam falsæ, quas ingeniosus facile internoscere poterit.

Cura tremoris cordis. CURATIO. In curatione palpitationis cordis sunt adhibenda deoppilativa spiritus vitæ. qualia sunt Liquor auri, Ol. Margaritarum coralliorum, essentia Croci, macis, liquor chelidoniæ, melissæ. Item, Aqua theriacalis & diaphoretica omnia. Item, Alexipharmacum. Spiritus Vitrioli ad odoris suavitatem & dulcis aciditatis gratiam reductus, est arcanum palpitationis cordis, & confortativum spirituum cordis & cerebri. Idem etiam præstat Ol. Succini. *Theophrastus de tribus princ. cap 10.* In Syncope & lipothymia cordia confortativa sunt administranda, aurum, smaragdus, coralia. Item, perlatum, crocus, melissa, macis. Theophr. lib. 2. de viribus membr. c. 1. Item Hyssopus, mentha, de qua Fuchsius, Turneuserus in Pisone lib. 1. cap. 3. Item, pulegium, menta rubea & flores trinitatis, ibid. cap. 7. Fœnumgræcum, veronica, condris, satureja, cuscuta, sarcocolla, fumusterræ. Theophrastus in putat. chirurg. pag. 116. Item primula veris, quæ crescit & colligitur statim ab initio veris. Item, Aromaticum rosatum Gabrielis. Item aromaticum muscatum, diaboraginatum, diabuglossatum, diambræ, dianthos, lætitia Galeni, ol. benedicti ℥j. mane jejuno stomacho in vino assumpta: Risius in antidotario. Item aqua theriacalis Andromachi. Cordis dolores tolluntur sectione venæ. Aqua carbunculi est præstantissimum confortativum cordis cochlear dimidium assumptum. Item Terra sigillata Strigoniensis, balsamus sulphuris, & spiritus Tartari. Vide Theophrast. tract. 3. præparat. itemque tract. 5. item lib. 1. de signis Zodiaci circa finem.

CAPUT XIX.

De morbis ventriculi, causis, signis.

EX ventriculo est virtus nutritiva, quia inde progreditur nutrimentum in totum corpus humanum. Digerit enim cibum & præbet ei vim nutritivam. Est autem ille subjectus variis morbis, qui in ventriculo frustrata temperatione & excrementorum expulsione generantur; quales sunt ventriculi dolores, erosiones, ardores flatus, inflammationes, fluxiones, tabes, de quibus Alex. Benedict. lib. 11. in procemio cum seqq. cap. & lib. 12. per totum librum. Quare ut hic salvus sit & maneat omnino curandum est. *Semina morborum ventriculi.* Semina morborum, quæ in agro ventriculi plantantur in impuritatibus consistunt sulphureis & mucilaginosis, in quibus duplicia excrementa commiscentur, sulphuris scilicet & salis, quæ duo omnibus alimentis insunt, & ab omnibus separantur, cum natura est viribus integra. Hæc duo nisi miscentur & unà expelluntur, fractis naturæ viribus, actionum naturalium administrationem assiduè interpellant. Cùm itaque radices introduxerint in anatomiam ventriculi, morbos pariunt. Si sulphur cum tartarea, stiptica & aluminosa mucilagine mixtum fuerit, febres generantur in ventriculo, & à Paracelso morbi Nitro sulphurei vocantur. *Febres ventriculi.* Cùm verò sal mucilaginosum seu tartarus solus in ventriculo permansit, assidua nutritione symptomata tandem profert copiosis nominibus insignita, sed planè rusticis & fantasticis. Rustica sunt, Imbecillitas, bradypepsia, vitiata concoctio, cruditas. Intemperiem genuit phantasia. His symptomatis nomina imponantur à radicum seu causarum, à quibus oriuntur, proprietatibus petita. Rectius enim dicentur Morbi mucilaginosi, tartarei, ex spiritibus aluminosis, vitriolatis, cachymialibus, sive bolaribus, bituminosis, arenosis. *Sev. f. 241.* Ex horum spirituum ac similium proprietatibus causæ omnium symptomatum explicari debent, quæcunque prædictis ventriculi morbis superveniunt. Inquinatis spiritibus mechanicis ventriculi tincturis tartareis, aluminosis, stipticis, separationem puri ab impuro, ut debebant, non absolvunt, & tardas concoctiones perficiunt. Quod si spiritus isti tartarei transplantationum autores validiores fuerint, & omnino innatos vicerint malitia, cruditates perfectas pariunt, & Archeum ventriculi captivum vinctumque tenent. Exinde generantur cruditates, inflationes, ructus, gravedines, pigritia, somnolentia, nausea, vomitus & infinita hujus generis tormenta. *Causa cruditatum, inflationum, ructuum.* Quando spiritus tartarei superiorem ventriculi partem, nimirum os ejus obsidens, orexis, ardores, lancinationes, & immanes dolores proferunt, propter oris ventriculi exquisitum sensum unde καρδιαλγία: *Καρδιαλγία & καρδιωγμὸς.* Nam stomachus seu os ventriculi vocatur etiam καρδία, propter consensum orificii ventriculi cum corde: aliàs vocatur καρδιωγμὸς, Cordis morsus. Os ventriculi est maximè sensibile, propter multos nervos eo pertingentes. *Inflammatio ventriculi.* Spiritus vitriolati in ventriculo sæpe bulimiam, lupinam & caninam famem excitarunt. In ventriculo autem non solùm impuritates mucilaginosæ & tartareæ implantantur, sed etiam arsenicales, auripigmentales, antimoniales, inflammatoriæ ibi confluentiam inveniunt. Radicibus actis fructus producunt morborum nuntios: Hinc inflammatio ventriculi. quod parum aut omnino nil differt à pleuritide. Febris n. ardentissima, magna corporis jactatio & inquietudo, sitis inexplebilis, assidua ingestorum vomitio aut electio, aquæ frequens exsolutio vigiliæ & plerunque deliria hanc inflammationem comitantur. *Phthisis ventriculi.* Φθίσις ut in aliis omnibus partibus generatur, ita ventriculus hanc quoque non effugit: causa quidem illius supra commemorata est. Quo autem omnia fiant manifestiora & clariora, ejus generatio in ventriculo hæc est: Cùm latera ventriculi tartaro obducuntur, & meatus ac pori ejus obstruuntur, sequitur oppilatio spiritus vitæ; ex oppilatione putrefactio & corruptio totius membri; hinc Phthisis ventriculi; cui compatitur totum corpus, & miserandam patris familias cladem vehementer dolet, destitutum alimento.

De singultu. SINGULTUS, convulsivus est ventriculi motus, quem Hippocrates ut convulsionem membrorum, vel à repletione vel ab inanitione fieri censet. *Ejus causa.* Ab inanitione quidem, ut ab inmoderato sanguinis profluvio, & ab immodica purgatione. A repletione, ut in pueris & iis qui crapulæ addicti sunt. Hæ singultus causæ tradi solent præter quas tamen & aliæ graviores existunt. Etenim sæpe spiritus seu vapor malignus & venenosus in os ventriculi effusus deteriorem singultum infligit, qualem sæpissimè comperimus in malignis & pestilentibus febribus, atque etiam jecoris inflammationi supervenire, & maximè cùm spes in augusto posita est, & cor morbi malignitate obruitur.

Curatio. CURA. Ad præservationem morborum ventriculi

triculi nullum remedium est præstantius Acetositate Vitrioli Veneris. Sic autem fit. Venus calcinatur, postea menstruo convenienti extrahitur Vitriolum, ex ventriculo liquor & spiritus: Atque hæc est Acetositas esurina Veneris, quæ tantis pollet viribus, ut omnia quæ in ventriculo continentur, sive tartareæ sive sulphureæ impuritates fuerint, consumat, ventriculumque usque adeò confortat & corroborat, ut omnia concoquere queat, uti struthio ferrum concoquit ac digerit. de qua acetositate Veneris scribit Paracelsus, ubi acerosa distinguit in Naturalia & Artificialia. Naturalia acetosa sunt thermæ & acidulæ: Artificialia extrahuntur ex Metallis, mineralibus & cachymiis, & est sal corum. Idem ferè tam in præservatione quàm curatione præstat spiritus Vitrioli, Ungarici vel Romani, quem ad omnes morbos tartareos curandos sufficere scribit Paracelsus de mineralibus. Sed ne quid nimis. Omne enim nimium naturæ inimicum: Cum judicio igitur sumendus. Ut orificium ventriculi claudatur, ℞ Radices Aronis correcti, pulveris Betonicæ, Calami aromatici ana ℥iij. salis ulti ʒß. hæc pulverisentur & misceantur de quo pulvere post prandium & cœnam sumat magnitudine duorum pisorum, sed nihil admodum bibat. Ad evacuandum ventriculum exhibentur Grana quatuor florum Antimonii in Electuario. In resolutione & consumtione materiæ tartareæ & sulphureæ in ventriculo multum præstat Antimonium, quod purgat per vomitum & alvum, nostræ confectionis. In doloribus stomachi Præparatio masliches. ℞ Mastiches ℥iij. Alchoolis vini lib. ß. galangæ ℥j. Distilla per Alembicum. dosis ejus est ʒß. Confortantia stomachum. Condirum zinziberis, conditum de cotoneis, diacinnamomum, diatrion pipereon, ol. de absynthio, oleum masticbinum, balsamus sulphuris. Cardiacam seu cardialgiam curant Oleum & magisterium perlarum Barthol. Anglicus lib. 16. cap. 22. Item Saphirus ibid. cap. 87. Hunc morbum sedant & mitigant Aquæ ex Antimonio Cobolth. Item aquæ ex nitro. Thurneuserus in Pisone lib. 5. cap. 25. Ex Moscho, Zibetta, Castorio, monocerotis cornu, ebore, corou & osse cordis cervi, fit laudatissimum medicamentum ad Cardiacos & alios affectus. Joseph. Quercetan. in respons. ad Aubertum pag. 21.

Vitrioli Vener. præparatio Sulph. Vitrioli purgans paracelsi. 1055. tom. 1.

** Lib. de morbis tartareis, c. 16.*

Ad claudendum orificium ventriculi.

Contra Cardialgia.

Inflammationis ventriculi cura eadem est cum angina seu pruoella ac pleuritide. Singultum tollit Ol. Anisi, cujus guttas quinque in vino vel alio decocto administra, eoque inunge umbilicum. Vide Phrisium in speculo lib. 2. part. 4. tract. 1. cap. 4. Barth. Anglicus lib. 7. c. 45. Alex. Benedictus lib. 12. cap. 19. 20. 21. 22. 23. Concoctionem adjuvant Magisterium perlarum, cerevisia cum Origano condita. Item Aqua vel subtilitates Salis communis, salis gemmæ, salis maris, Turobeus. in Pis. lib. 4. cap 7. Præparatio salis peregrinorum, ut confortet in stomacho digestionem, & præservet à putredine. ℞ Salis nitri, salis fusi, salis gemmæ, ad ℥j. galangæ, maceris, cubebarum ana ℈j. fiat pulvis. Dosis, granos quatuor manè jejuno stomacho.

CAPUT XX.

De morbis jecoris, causis, signis.

Obstructio Epatis.

OBSTRUCTIO jecori admodum familiaris est, nullum enim viscus hoc vitio æquè tentatur, quod vena è portis per jecoris substantiam in ramos tenuissimos dissipata obliteretur: huicque alii non minus tenues è vena cava conveniant, per quos omne debet alimentum trahi & exportari. Obstructio autem illa proficiscitur ex tartaro, qui obstruit venas, & cursum sanguinis impedit. Hæc apertas præ se fert notas: nam gravitas & distensio cum obtuso dolore dextro insidet hypochondrio, tum præcipuè manifesta, cùm quis mox à cibo exercitationem subit. Ex contumaci & inveterata obstructione Scirrhus oritur, qui est Tumor durus ac renitens doloris expers, nisi si pars affecta durius prematur. Tactus hunc deprehendit, præsertim si gracile & expers adipis est abdomen: idque facilius erecto vel in dextrum latus inclinato ægro, quàm decumbente supino: tum quippe nonnihil pressum animadverti potest. Scirrhus epatis impedit sanguificationem ejus, hinc materia languinis convertitur in materiam serosam, unde hydrops. In generali explicatione morborum dictum est, quodlibet membrum habere suum ventriculum, in quo nutrimentum separatur ab impuro, impurum per emunctoria expellitur, quod duplex est, sulphuris & salis. Quod si autem errore quodam non expellantur, sed in regione ventriculi permaneant, exinde sequitur oppilatio spiritus vitæ, ex oppilatione corruptio, & putrefactio membri. Verumenimverò, si tartarus solus remanet, sulphur verò expellitur, sequitur Phthisis, tabes, consumtio non solùm membri, sed totius corporis, propter eorum destructum. Sin verò permixta manent sulphur & sal sulphureta men tenente imperium, tum producunt prunellas, pleuritides, bubunes, quod non solùm de epate, sed etiam aliis membris intelligendum: Hinc rectè dictum esse comperio Quot membra tot MORTES. Hæc est generatio Phthiseos & inflammationis in epate. Inflammationis autem signa sunt, febris ardens & acuta, sitis inexhausta, linguæ scabrícies, & hinc lentor inhærescens primò quidem flavus, deinde nigricans. nausea & cibi fastidium, interdum singultus prope strangulans, sæpe corporis color ictero fœdatus, urinæ crassæ, rubicundæ ac turbidæ, biliosa vomitio, & ejus plerunque per alvum ejectio. Hoc fundamento posito, Aphorismus Medicus & Philosophicus ubique constans manet: Quodlibet Elementum non in propria, sed in peregrina regione parturire. Sin sanguine inflammationis semina, germina, fomenta, ... (ut loquitur Hippocrat.) continentur, turgent à subitaneo impetu, florem præsentis generationis radicis progeniem epsti transmittent, ubi loca trium principiorum consentaneis proprietatibus insignita in Epate invenerint, in cujus officina ætatum discrimina & prædestinationum terminos, signaturárum variabili sorte conutatos absolvent. Continet enim hic flos scientiam radicis suæ & qualitates, & corpora producit inimica, dolorosa ac perniciosa humanæ naturæ. Ex quibus calamitatibus exesis & apertis venis, si vicinæ ac conspicuæ fuerint, fieri potest, ut sanguis profluat, ac peregrinas cavitates occupet, sinceè usque vel tussi, vel per urinas, alvum, vomitum, uterum reddatur. Quod ubi fit, ob morbi vehementiam & magnitudinem, mortem brevi exspectare oportet. Ad Phthisin refertur Ἀ..., tanquam effectus ad causam. Ἀτροφία est nutritionis error, quo corpus sensim exarescit & absumitur. Itaque cordis affectus, maximeque febris hectica & pulmonis exulceratio, quoniam vitalem illius omniumque partium spiritum labefactant, ἀτροφίαν generant. Cachexia malus atque vitiosus est corporis habitus: sub hoc plena satis atque copiosa satis est corporis moles, sed tamen tum substantia tum colore vitiosa. Corpus non, ut athletarum promptum & alacre, sed grave est & iners, nec vivido colore florescens, sed vel pallido, vel livido, vel citrino squalidum. Oritur autem ex ventriculi aut epatis vitiosa concoctione inquinatis spiritibus mechanicis tinctura tartareis, aluminosis stipticis. Cachexia nil aliud est ac principium Hydropis. Nisi enim tempestivè

Scirrhus in Epate.

Inflammatio Epatis.

Signa.

Atrophia descriptio.

Καχεξία.

pestivè illud malum corrigitur, radices hydropis altiores agit. Nam hydrops cum speciebus ex digestione imbecilli atque adeo corrupta, epatisque duritie & obstructionibus, quas error & vitium nutritionis comitatur, originem trahit. Hydropem comitatur fastidium & nausea cibi, unde primùm substantia carnis extabescit. Hinceque succedens vel Tympanites in locum deperditi ventositatem copiosam, vel Anasarca, viscositatem multam, vel denique Ascytes plurimum aquæ inducit. Hæc jam dicta minimè repugnant sententiæ Paracelsi, cùm dicit lib. 2. de tartaro, tract. 2. cap. 6. Hydrops generatur ex Sale resoluto, nam propter infirmitatem spirituum mechanicorum separatio salis à nutrimento fieri nequit, defertur igitur vaporosa substantia per omnes corporis partes, ubi sæpius vi corrosiva in cute scissuras facit, & effluit.

Species Hydropis terna.

CURA. Obstructio primò Epatis removeatur, resolvendo & consumendo causam obstruentem. Obstructiones autem Epatis omnes tollunt essentiæ Mercuriales, Mercurii vulgi, antimonii, Paracelsus lib. 2. de virib. membr. c. 6. Item Spiritus salium, vitrioli & communis. Extra quoque aperientia adhibentur, videl. pinguedo taxi (puta melis) in panno lineo calidè regioni Epatis applicata. Essentia Jovis omnes curat morbos epatis. Paracelf. de reb. natural. cap. 7. sub tit. Sulphuris. Obstructiones epatis tollunt tres ℥ syrupi de radice Cichoreæ, semel tantùm manè jejuno stomacho sumptæ; vesperi ne sumas, quia sic augerentur obstructiones. Aut sume Syrupum de radicib. secundùm Fernelium. Jecur obstructum liberat Cerevisia cum betonica condita. Obstructionem arteriæ epatis aperit subtilitas camphoræ & sulphuris. Thermas obstructiones epatis aperientes vide in Rulando Etschenteutero. Hepatis obstructiones & aquam intercutem tollunt hæ confectiones calidæ: Dialacca, diacurcuma, diacatholicum. Item hi trochisci apertivi, de Rhabarbaro, de Eupatorio, de Mirrha. Diu obstructum epar incipit putrescere. Illa putrefactio curatur per Aq. de lapide Asio. Epatis & splenis tumores sanat Cabrates lapis, Bart. Anglic. lib. 16. cap. 58. vide Galen. de arte curativa lib. 2. cap. 6. Phrisii speculum par. 4. lib. 2. tract. 3. cap. 3. Epati debilitato adhibenda est præparatio argenti, quam tradit Theophr. in tract. præparationum lib. 1. fol. 50.

Curatio Hydropis methodica.

Turnheusser in Pisone lib 4. cap. 7.

Paracelsus in curatione hydropis lib. 1. Paramiri cap. 4. docet, salem resolutum pellere, naturam corroborare, scilicet ut possit separare purum ab impuro, & salem in corpore resolutum consumere per mercurialia. In curatione hydropis Oleum seu Essentia Martis multum præstat. Exsiccat enim superflua corporis, obstructiones aperit, & viscera corroborat. Paracelsus hydropem curat per aurum vitæ diaphoreticum, seu præcipitatum auri. Arcanum in hydrope est Oleum salis, singulo manè aliquot guttæ assumptæ. Sal Antimonii in vino exhibitum, magnum hydropis arcanum est. Item Mercurius ad laxandum præparatus, essentia sulphuris, spiritus auri, tinctura coraliorum, Mumia, oleum absynthii. Vide Theophr. lib. de Tempore: Lapis Philosophorum curat omnes species hydropis. Theophr. de tinctura physica cap. 6. Oleum Vitrioli in aqua Endiviæ: spiritus vel quinta essentia Vitrioli ex Venere in aqua vitæ. Ascites curatur per aquas de Asio lapide. Item per aquas salis nitri. Thurneus. in Pis. lib. 7. cap. 7. & 9. Theophr. lib. 4. Paragraphorum tract. 5. lib. 1. præparationum sub titulo de stanno. ℞ Stanni purgati ℥j. Antimonii ℥ij. reverbera xxiv. horarum spatio, & ex hac materia extrahe alcali cum alcoole vini dosis est ʒj. ad ʒjß. Tympanites curatur per Aquas de sulphure, item de Bitumine. Item de Muscho factas, & per oxyacantha, laureolam, & diamasonium: item mentham sylvestrem & amaranthum. Thurn. in Pis. lib. 4. c. 7. & lib. 5. c. 25. Anasarca curatur per essentiam sulphuris Theophrasti: item, Essentiam corallíorum: item, oleum Antimonii. Potus Hydropici fit aqua fontana cum Spiritu Vitrioli mixta. Hic potus valde exsiccat aquam hydropicorum. Arcanum Mercurii vitæ curat omnes species hydropis, in Aqua vitæ rectificata composita, administratum expellit per sudorem materiam peccantem. Vide Alex. Bened. lib. 14. per tot. Barth. Anglum lib. 7. cap. 51. Paracelf. de virib. memb. lib. 2. cap. 6. ubi scribit de sublimatione chegri seu Antimonii ex nigredine in albedinem, dicitque hanc Antimonii sublimationem in vino vitæ assumtam omnes affectus epatis curare, liberando illud à putrefactione & corruptione, ita ut possit separare purum ab impuro, & chylum in purum ac sanum sanguinem convertere, ex quo nullus nascitur morbus, instaurat etiam & renovat impurum sanguinem, totum corpus regenerando, & omnem immunditiem ac lepram tollendo. Magnum quoque arcanum epatis & hydropis est liquor alcali & Mercurii, lib. 2. de virib. memb. cap. 6.

Cura Tympanitis.

Anasarca.

CAPUT XXI.

De morbis in & ex cysti Fellis.

CYSTIM fellis occupat obstructio, calculus, repletio, & inanitio. Obstructio autem ejus est ductus, quo bilis è jecore prolicitur: aut ejus, quo è cysti in intestina eructatur. Obstructio autem est ex tartaro, ut & aliarum partium. In utraque alvus durior pigriorque est, fæces albicant, urinæ flavæ crassæque adeò sunt, ut sæpe nigrescant. Calculus in cysti fellis plerunque concrescit niger, sed tamen levis, & qui aquæ immersus innatat, neque ut qui è renibus aut vesica evellitur, subsidit in imo. Hujus prima materia à felle attrahitur ex epate. Calculus iste causatur effusionem bilis in ventriculum, unde varii morbi generantur, non autem ex bile sola, sed calculus seu tartarus iste cum bile flores suos transmittit ad ventriculum. Ita tartarus fellis est causa Icteritiæ, videlicet quando emittit flores suos cum felle in totum corpus. Spiritus autem isti florum (tartareorum) habent vim corrosivam, qua penetrant poros cutis, & tingunt totum corpus. Paracelsus ait: Icterus colorem citrinum mutuatur ex commixtione triplicis salis. Sal entalicum: sal vitriolatum, & liquor sulphuris resoluti, cum ista in unum simul coeunt, faciunt ictericiæ principium & novum colorem. Et juxta subtilitatem coloris singulorum fit morbus diaphanus vel subtilis, ater, flavus, vel candidus, & sic de reliquis coloribus judicandum. Icteritia citrina constat ex Vitriolo entali, & sulphure liquido. Ictericia nigra ex Mysco, Vitriolo & Sulphure dissoluto: Viridis icteritia ex prædictis sex: Pallida ex scissis mercurialibus liquoribus, & Vitriolo albo. Paracelsus Icteritiam facit septemplicem, respectu septem membrorum principalium, unde multi chronici morbi oriuntur: Ictericia enim incurabilis est, ex tartaro fellis, quoad specifica remedia, cùm spiritus tartari corpus tingentes fortiores fuerint. Hic morbus lethalis est, quando quis cum eo diu conflictatur, & accedunt alia symptomata. Quando pestis in regione grassata est & desiit, in ipsius locum solet succedere Ictericia, ut morbus astralis, & fit Epidemius, & sunt reliquiæ veneni de peste. Qui hujus ablationem & curationem molitur necesse est, ut procedat sicut in cura pestis, diaphoreticis & alexipharmacis.

De origine contractura ex Ira, vide lib. de membr. contractis tract. 1. c. 4. & 5.

Lib. de Ictero, c. 1.

CURA.

trienti nullum remedium est præstantius Acetositate Vitrioli Veneris. Sic autem fit. Venus calcinatur, postea menstruo convenienti extrahitur Vitriolum, ex ventriculo liquor & spiritus: Atque hæc est Acetositas esurina Veneris, quæ tantis pollet viribus, ut omnia quæ in ventriculo continentur, sive tartareæ sive sulphureæ impuritates fuerint, consumat, ventriculumque usque adeò confortat & corroborat, ut omnia concoquere queat, uti struthio ferrum concoquit ac digerit. de qua acetositate Veneris scribit Paracelsus, ubi acetosa distinguit in Naturalia & Artificialia. Naturalia acetosa sunt thermæ & acidulæ: Artificialia extrahuntur ex Metallis, mineralibus & cachymiis, & est sal eorum. Idem ferè tam in præservatione quàm curatione præstat spiritus Vitrioli, Ungarici vel Romani, quem ad omnes morbos tartareos curandos sufficere scribit Paracelsus de mineralibus. Sed ne quid nimis. Omne enim nimium naturæ inimicum: Cum judicio igitur sumendus. Ut orificium ventriculi claudatur, ℞ Radices Aronis correcti, pulveris Betonicæ, Calami aromatici ana ʒiij. salis usti ℥ß. hæc pulverisentur & misceantur de quo pulvere post prandium & cœnam sumat magnitudine duorum pisorum, sed nihil amplius bibat. Ad evacuandum ventriculum exhibentur Grana quatuor florum Antimonii in Electuario. In resolutione & consumtione materiæ tartareæ & sulphureæ in ventriculo multum præstat Antimonium, quod purgat per vomitum & alvum, nostræ confectionis. In doloribus stomachi Præparatio mastiches. ℞ Mastiches ℥iij. Alchoolis vini lib. ß. galangæ ʒj. Distilla per Alembicum. dosis ejus est ʒß. Confortantia stomachum. Conditum zinziberis, conditum de cotoneis, diacinnamomum, diatrion pipereon, ol. de absynthio, oleum masticbinum, balsamus sulphuris. Cardiacam seu cardialgiam curant Oleum & magisterium perlarum Barthol. Anglicus lib. 16. cap. 22. Item Saphirus ibid. cap. 87. Hunc morbum sedant & mitigant Aquæ ex Antimonio Cobolth. Item aquæ ex nitro. Thurneuserus in Pisone lib. 5. cap. 25. Ex Moscho, Zibetta, Castorio, monocerotis cornu, ebore, cornu & osse cordis cervi, fit laudatissimum medicamentum ad Cardiacos & alios affectus. Joseph. Quercetan. in respons. ad Aubertum pag. 21.

Vitrioli Vener. præparatio

Sulph. Vitrioli purgans paracelſ. p. 1052. tom. 1.

** Lib. de morbis tartareis, c. 16.*

Ad claudendum orificium ventriculi.

Cura Cardialgia.

Inflammationis ventriculi cura eadem est cum angina seu prunella ac pleuritide. Singultum tollit Ol. Anisi, cujus guttas quinque in vino vel alio decocto administra, eoque inunge umbilicum. Vide Phrisium in speculo lib. 2. part. 4. tract. 1. cap. 4. Barth. Anglicus lib. 7. c. 45. Alex. Benedictus lib. 12. cap. 19. 20. 21. 22. 23. Concoctionem adjuvant Magisterium perlarum, cerevisia cum Origano condita. Item Aqua vel subtilitates Salis communis, salis gemmæ, salis maris, Turnheus. in Pis. lib. 4. cap. 7. Præparatio salis peregrinorum, ut confortet in stomacho digestionem, & præservet à putredine. ℞ Salis nitri, salis fusi, salis gemmæ, ad ʒj. galangæ, maceris, cubebarum ana ℈j. fiat pulvis. Dosis, grana quatuor manè jejuno stomacho.

CAPUT XX.

De morbis jecoris, causis, signis.

Obstructio Epatis.

OBSTRUCTIO jecori admodum familiaris est, nullum enim viscus hoc vitio æquè tentatur, quod vena è portis per jecoris substantiam in ramos tenuissimos dissipata obliteretur: huicque alii non minus tenues è vena cava conveniant, per quos omne debet alimentum trahi & exportari. Obstructio autem illa proficiscitur ex tartaro, qui obstruit venas, & cursum sanguinis impedit. Hæc apertas præ se fert notas: nam gravitas & distensio cum obtuso dolore dextro insidet hypochondrio, tum præcipuè manifesta, cùm quia mox à cibo exercitationem subit. Ex contumaci & inveterata obstructione Scirrhus oritur, qui est Tumor durus ac renitens doloris expers, nisi si pars affecta durius prematur. Tactus hunc deprehendit, præsertim si gracile & expers adipis est abdomen: idque facilius erecto vel in dextrum latus inclinato ægro, quàm decumbente supino: tum quippe nonnisi pressum animadverti potest. Scirrhus epatis impedit sanguificationem ejus, hinc materia sanguinis convertitur in materiam serosam, unde hydrops. In generali explicatione morborum dictum est, quodlibet membrum habere suum ventriculum, in quo nutrimentum separatur ab impuro, impurum per emunctoria expellitur, quod duplex est, sulphuris & salis. Quod si autem errore quodam non expelluntur, sed in regione ventriculi permanent, exinde sequitur oppilatio spiritus vitæ, ex oppilatione corruptio, & putrefactio membri. Verumenimverò, si tartarus solus remanet, sulphur verò expellitur, sequitur Phthisis, tabes, consumtio non solùm membri, sed totius corporis, propter cœium destructum. Sin verò permixta manent sulphur & sal, sulphure tamen tenente imperium, tum producunt prunellas, pleuritides, bubones, quod non solùm de epate, sed etiam aliis membris intelligendum: Hinc rectè dictum esse comperio: Quot membra tot MORTES. Hæc est generatio Phthiseos & inflammationis in epate. Inflammationis autem signa sunt, febris ardens & acuta, sitis inexhausta, linguæ scabricies, & hinc lentor inhærescens primò quidem flavus, deinde nigricans. nausea & cibi fastidium, interdum singultus prope strangulans, sæpe corporis color ictero fœdatus, urinæ crassæ, rubicundæ ac turbidæ, biliosa vomitio, & ejus plerunque per alvum ejectio. Hoc fundamento posito, Aphorismus Medicus & Philosophicus ubique constans manet: Quodlibet Elementum non in propria, sed in peregrina regione parturire. Sin in sanguine inflammationis semina, germina, fomenta, φλεγμονῆς, (ut loquitur Hippocrat.) continentur, turgent a subitaneo impetu. florem præsentis generationis radicis progeniem epati transmittent, ubi loca trium principiorum consentaneis proprietatibus insignita in Epate invenerint, in cujus officina ætatum ulteriuu a & prædestinationum terminos, signaturarum variabili sorte comitatos absolvent. Continet enim hic flos scientiam radicis suæ & qualitates, & corpora producit inimica, dolorosa ac perniciosa humanæ naturæ. Ex quibus calamitatibus exesis & apertis venis, si vicinæ ac conspicuæ fuerint, fieri potest, ut sanguis profluat, ac peregrinas cavitates occupet, sincerusque vel tussi, vel per urinas, alvum, vomitum, uterum reddatur. Quod ubi fit, ob morbi vehementiam & magnitudinem, mortem brevi exspectare oportet. Ad Phthisin refertur Ἀτροφία, tanquam effectus ad causam. Ἀτροφία est nutritionis error, quo corpus sensim exarescit & absumitur. Itaque cordis affectus, maximeque febris hectica & pulmonis exulceratio, quoniam vitalem illius omniumque partium spiritum labefactant, ἀτροφίαν generant. Cachexia malus atque vitiosus est corporis habitus: sub hoc plena satis atque copiosa satis est corporis moles, sed tamen tum substantia tum colore vitiosa. Corpus non, ut athletarum promtum & alacre, sed grave est & iners, nec vivido colore florescens, sed vel pallido, vel livido, vel citrino squalidum. Oritur autem ex ventriculi aut epatis vitiosa concoctione inquinatis spiritibus mechanicis tincturis tartareis, aluminosis stipticis. Cachexia nil aliud est ac principium Hydropis. Nisi enim tempestivè

Scirrhus in Epate.

Inflammatio Epatis.

Signa.

Atrophia descriptio.

Καχεξία.

pestivè illud malum corrigitur, radicitus hydropis altiores agit. Nam hydrops cum speciebus ex digestione imbecilli atque adeo corrupta, epatisque duritie & obstructionibus, quas error & vitium nutritionis comitatur, originem trahit. Hydropem comitatur fastidium & nausea cibi, unde primùm substantia carnis extabescit. Hincque succedens vel Tympanites in locum deperditi ventositatem copiosam, vel Anasarca, viscositates multas, vel denique Ascytes plurimum aquæ inducit. Hæc jam dicta minimè repugnant sententiæ Paracelsi, cùm dicit lib. 2. de tartaro, tract. 2. cap. 6. Hydrops generatur ex Sale resoluto, nam propter infirmitatem spirituum mechanicorum separatio salis à nutrimento fieri nequit, desertur igitur vaporosa substantia per omnes corporis partes, ubi sæpius vi corrosiva in cute scissuras facit, & effluit. *[Species Hydropis tertia.]*

[Curatio Hydropis methodica.] CURA. Obstructio primò Epatis removeatur, resolvendo & consumendo causam obstruentem. Obstructiones autem Epatis omnes tollunt essentiæ Mercuriales, Mercurii vulgi, antimonii. Paracelsus lib. 2. de virib. membr. c. 6. Item Spiritus salium, vitrioli & communis. Extra quoque aperientia adhibentur, videl. pinguedo taxi (puta melis) in panno lineo calidè regioni Epatis applicata. Essentia Jovis omnes curat morbos epatis. Paracels. de reb. natural. cap. 7. sub tit. Sulphuris. Obstructiones epatis tollunt tres ℥ syrupi de radice Cichoreæ, semel tantùm manè jejuno stomacho sumptæ; vesperi ne sumas, quia sic augerentur obstructiones. Aut sume Syrupum de radicib. secundùm Fernelium. Jecur obstructum liberat Cerevisia cum betonica condita. Obstructionem arteriæ epatis aperit subtilitas camphoræ & sulphuris. Thermas obstructiones epatis aperientes vide in Rulando Etschenreutero. Hepatis obstructiones & aquam intercutem tollunt hæ confectiones calidæ: Dialacca, diacurcuma, diacatholicum. Item hi trochisci apertivi, de Rhabarbaro, de Eupatorio, de Mirrha. Diu obstructum epar incipit putrescere. Illa putrefactio curatur per Aq. de lapide Asio. Epatis & splenis tumores sanat Cabrates lapis, Bart. Anglic. lib. 16. cap. 58. vide Galen. de arte curativa lib. 2. cap. 6. Phrisii speculum par. 4. lib. 2. tract. 3. cap. 3. Epati debilitato adhibenda est præparatio argenti, quam tradit Theophr. in tract. præparationum lib. 1. fol. 50. *[Turnbeus(?) in Piso lib. 4. cap. 7.]*

Paracelsus in curatione hydropis lib. 1. Paramiri cap. 4. docet, salem resolutum pellere, naturam corroborare, scilicet ut possit separare purum ab impuro, & salem in corpore resolutum consumere per mercurialia. In curatione hydropis Oleum seu Essentia Martis multum præstat. Exsiccat enim superflua corporis, obstructiones aperit, & viscera corroborat. Paracelsus hydropem curat per aurum vitæ diaphoreticum, seu præcipitatum auri. Arcanum in hydrope est Oleum salis, singulo manè aliquot guttæ assumptæ. Sal Antimonii in vino exhibitum, magnum hydropis arcanum est. Item Mercurius ad laxandum præparatus, essentia sulphuris, spiritus aceti, tinctura coraliorum, Mumia, oleum absynthii. Vide Theophr. lib. de Tempore: Lapis Philosophorum curat omnes species hydropis. Theophr. de tinctura physica cap. 6. Oleum Vitrioli in aqua Endiviæ: spiritus vel quinta essentia Vitrioli ex Venere in aqua vitæ. Ascites curatur per aquas de Asio lapide. Item per aquas salis nitri. Thurneus. in Pis. lib. 7. cap. 7. & 9. Theophr. lib. 4. Paragraphorum tract. 5. lib. 1. præparationum sub titulo de stanno. ℞ Stanni purgati ℥j. Antimonii ℥ij. reverbera xxiv. horarum spatio, & ex hac materia extrahe alcali cum alchoole vini dosis est ʒj. ad ʒjß. Tympanites curatur per Aquas de sulphure, item de Bitumine. Item de Muscho factas, & per oxyacantha, lanceolam, & diamasonium: item mentham sylvestrem & amaranthum. Thurn. in Pis. lib. 4. c. 7. & lib. 5. c. 25. *[Cura Tympanitis.]* Anasarca curatur per essentiam sulphuris Theophrasti: item, Essentiam coralliorum: item, oleum Antimonii. Potus Hydropici sit aqua fontana cum Spiritu Vitrioli mixta. Hic potus valde exsiccat aquam hydropicorum. Arcanum Mercurii vitæ curat omnes species hydropis, in Aqua vitæ rectificata composita, administratum expellit per sudorem materiam peccantem. Vide Alex. Bened. lib. 14. per tot. Barth. Anglum lib. 7. cap. 51. Paracels. de virib. memb. lib. 2. cap. 6. ubi scribit de sublimatione chegri seu Antimonii ex nigredine in albedinem, dicitque hanc Antimonii sublimationem in vino vitæ assumtam omnes affectus epatis curare, liberando illud à putrefactione & corruptione, ita ut possit separare purum ab impuro, & chylum in purum ac sanum sanguinem convertere, ex quo nullus nascitur morbus, instaurat etiam & renovat impurum sanguinem, totum corpus regenerando, & omnem immunditiem ac lepram tollendo. Magnum quoque arcanum epatis & hydropis est liquor alcali & Mercurii, lib. 2. de virib. memb. cap. 6. *[Anasarca.]*

CAPUT XXI.

De morbis in & ex cysti Fellis.

CYSTIM fellis occupat obstructio, calculus, repletio, & inanitio. Obstructio autem ejus est ductus, quo bilis è jecore prolicitur: aut ejus, quo è cysti in intestina eructatur. Obstructio autem est ex tartaro, ut & aliarum partium. In utraque alvus durior pigriorque est, fæces albicant, urinæ flavæ crassæque adeò sunt, ut sæpe nigrescant. Calculus in cysti fellis plerunque concrescit niger, sed tamen levis, & qui aquæ immersus innatat, neque ut qui è renibus aut vesica evellitur, subsidit in imo. Hujus prima materia à felle attrahitur ex epate. Calculus iste causatur effusionem bilis in ventriculum, unde varii morbi generantur, non autem ex bile sola, sed calculus seu tartarus iste cum bile flores suos transmittit ad ventriculum. Ita tartarus fellis est causa Icteritiæ, videlicet quando emittit flores suos cum felle in totum corpus. Spiritus autem isti florum (tartareorum) habent vim corrosivam, qua penetrant poros cutis, & tingunt totum corpus. Paracelsus ait: Icterus colorem citrinum mutuatur ex commixtione triplicis salis. Sal entalicum: sal vitriolatum, & liquor sulphuris resoluti, cum ista in unum simul coëunt, faciunt ictericiæ principium & novum colorem. Et juxta subtilitatem coloris singulorum fit morbus diaphanus vel subtilis, ater, flavus, vel candidus, & sic de reliquis coloribus judicandum. Icteritia citrina constat ex Vitriolo entali, & sulphure liquido. Ictericia nigra ex Mysco, Vitriolo & Sulphure dissoluto: Viridis icteritia ex prædictis sex: Pallida ex scisso mercurialibus liquoribus, & Vitriolo albo. Paracelsus Icteritiam facit septemplicem, respectu septem membrorum principalium, unde multi chronici morbi oriuntur: Ictericia enim incurabilis est, ex tartaro fellis, quoad specifica remedia, cùm spiritus tartari corpus tingentes fortiores fuerint. Hic morbus lethalis est, quando quis cum eo diu conflictatur, & accedunt alia symptomata. Quando pestis in regione grassata est & desiit, in ipsius locum solet succedere Ictericia, ut morbus astralis, & fit Epidemius, & sunt reliquiæ veneni de peste. Qui hujus ablationem & curationem molitur necesse est, ut procedat sicut in cura pestis, diaphoreticis & alexipharmacis. *[De origine contractura ex Ira, vide lib. de membr. contrastis tract. 1. c. 4. & 5.]* *[Lib. de Ilero, c.1.]*

CURA.

Cura obstructionis fellis.

CURA. Ad obstructiones fellis tollendas liquor Vitrioli optimum est medicamentum: & est oleum de Colchotar. oleum seu essentia Martis est proprium cœlum fellis, quod potens est, contraria à suis globia pellere. Effusio fellis causatur à calculo seu tartaro fellis. Solvatur, reducatur, consumatur tartarus, & adest vera cura. Hæc solutio, reductio, consumptio tartari fit per Antimonium seu Chegrin. Item Mercurium præcipitatum. Quando resolvuntur flores tartari in felle, generatur Icterus, radicem cum floribus tartari radicitus tollit Antimonium nostræ confectionis.

In libro de Ictericis.

Paracelsus profitetur, Ictericiam glaucam, quæ principium lepræ est curari per Antimonium seu Chegrin. lib. 2. de virib. membrorum, cap. 12. Magnum quoque medicamen est verus Mercurius præcipitatus. Hæc duo medicamenta, Mercurius & Antimonium, incurabilem, quoad specifica, tollunt icterum.

Specifica remedia ad icterum

Specifica remedia hæc sunt: Mentha rubea, flores herbæ trinitatis, aurum, rhabarbarum, fœnumgræcum, veronica, satureja, condrys, lavendula, spicanardi, diarrhodon Abbatis. Phrisius dicit, Carnem interiorem aurantiorum. Item, triasandali esse specifica ictericiæ, quod probatur ea arte signata. Item pellicula flava de pedibus & ventriculis gallinarum. Item, Cichorea & Endivia. Ex arte signata, ægro anguillam, † quam Schleyen vocant, impone ejus sterno in furcula pectoris, vel in regione fellis, extrahit Ictericiam.

† Fortassis intelligit Tincham.

Item jube ut patiens urinam suam reddat super pannum lineum mundum, suspende in aëre & exsicca, & quando iterum redditurus est urinam, denuo faciat super linteum exsiccatum, suspendatur in aëre, & sic deinceps, pannus contrahet flavum seu citrinum colorem, & æger convalescet. Ita per aërem, Elementum subtilissimum curatur icterus. Rebisola, quæ fit urina cocta & exactè despumata, est Sal urinæ, & est arcanum in hoc morbo. Centaurium minus, quod vocant fel terræ, arcanum quoque in ictero habet. Aranea viva in resta nucis suspensa de collo super furculam pectoralem quoad morbus abit, quod fit quinto aut sexto die, usque ad mortem araneæ. Hoc specificum est applicandum, quando ictericia est morbus epidemialis.

Notandum.

Ictericia reliquorum membrorum principalium ita dignoscenda est, cùm purgationum præsidio ei succurri non potest. In summa, universi morbi, quibus purgantium præsidio occurri non potest, ex ictericia consistunt, nisi certæ & apparentes significationes tartari, seu alterius morbi refragentur. Hinc morbi chronici multi, quorum signa hæc sunt: Omnium membrorum debilitatio, compressio stomachi, gravitas scapularum, dolor dorsi, dolores spinæ & membrorum principalium, nausea & fastidium cibi, somni defectus, & quod tandem paralytici evadunt. Hujus autem curatio fit per diaphoretica Mercurii & Antimonii.

CAPUT XXII.

De Lienis morbis, causis & signis.

LIENIS morbi graviores sunt, Tumor distendens, Obstructio, Scirrhus, & Inflammatio. Splen est membrum oblongum, inquit Symphorianus, spongiosum, cavernosum, in sinistra parte collocatum, à media parte stomachi usque ad sinistram pelliculam Epatis porrectum.

Causa intemperies fæx tartarea.

Sanguinis excipiendæ fæci destinatum est, cujus omnem impuritatem facile admittit. Hac imbutus tumet multò quidem quàm jecur frequentius, & plerunque sine scirrho.

Tumor.

TUMOR in sinistro hypochondrio animadvertitur laxus, nec admodum renitens, qui interdum lienis situm figuramque retinet, interdum universum hypochondrion implet: Sed & is interdum subter umbilicum prolabitur. Noxia quidem materia è viscere in omentum quoquo versum effusa deprehenditur. Cum melancholico ac terreno humore, qui sanguinis fæx est & limus, tartarus sæpe attrahitur, qui producit lienis OBSTRUCTIONEM, quæ si contumax fuerit, accedet frustrata nutrimenti separatio, sensimque in scirrhum lien obdurescit.

Obstructio.

Hic lienis SCIRRHUS aliàs solam illius substantiam occupat, isque & situ visceris & figura circumscribitur: aliàs verò in partes quoque vicinas diffunditur, ut omnem plerumque ventris sinistram regionem impleat. Ex illa oppilatione & scirrho sequitur corruptio, putrefactio, ex qua febris, phthisisque generantur.

Scirrhus.

INFLAMMATIO ut reliquarum partium, ita & lienis propria est, febris adest assidua & ardens, lentor linguæ, sitis implacabilis, cibi fastidium, sinistri hypochondrii distensio atque tumor: dolor pulsans, molestus dexter decubitus, & interdum sinister, aliaque symptomata in sinistrum latus, perinde atque inflammatio jecoris in dextrum, incidunt.

Inflammatio.

CURATIO. Liquor Tartari tollit omnes affectus lienis, Paracels. lib. 2. de virib. membr. cap. 8. Item, Ol. Tamarisci, tinctura scolopendrii medetur omnibus affectibus lienis.

Cura Lienis affectus per specifica generalia.

Idem præstant omnia ea medicamenta, quæ aperiunt obstructiones, tartarum resolvunt, reducunt, & consumunt. Lienis obstructiones aperiunt aquæ sulphureis, bituminisque. Item, Cerevisia condita cum herba dicta lingua cervina. Barth. Anglus lib. 16. c. 45. Ferrum candens, si in vino vel lacte sæpius extinctum fuerit, ipsum vinum spleneticis & aliis morbidis medicari facit. Syrupos concoquentes pituitam, atram bilem in liene, otiosum est hic recensere, quæ omnia Galenicis relinquimus.

Universalis medicina Galenicorum contra omnes affectus lienis est Radix China. De Splene & Jecore induratis vide Galenum de Arte curativa lib. 2. cap. 5.

CAPUT XXIII.

De Morbis Mesenterii, & ejus quod Pancreas appellatur.

IN omnibus concavitatibus, ductibus, vasis totius corporis generatur tartarus: ita quoque in Mesenterio & venis Mesaraicis, quæ è ventre ad jecur devolvunt.

Obstructio Mesenterii.

Tartarus autem assidua impressione & nutritione cumulatus, venas denique obstruit, quominus alimentum ab epate possit attrahi: His venis obstructis Epar & partes corporis alimento destitutæ in marasmum incidunt.

Marasmus partium.

Cùm verò Tartarus iste flores suos emittit, qui sunt venenum tartari, (in tartaro enim omnia genera veneni insunt) maligna qualitate vitalia Elementa inficiunt, unde inflammationes & alia multa incommoda sequuntur.

Inflammationes.

Fernelius judiciosissimus ita de mesenterio, & eo quod pancreas appellatur scribit: Ego affirmo & profiteor, Choleræ, Melancholiæ, Diarrhœæ, Dysenteriæ, Cachexiæ, ἀτροφίας, languoris, lentarum errantiumque febrium, latentium denique morborum causas, me in his plerumque sedibus animadvertisse, quarum depulsione deploratis salus redderetur, obscuritas autem multis causa fuit ignorantiæ, & cur harum partium affectus prætermissi fuerint, nec veterum scriptis celebrati.

CURATIO. Tartarum in Mesenterio & venis Mesaraicis, qui sæpe Phthiseos, febrium, inflammationis & gravissimorum tam chronicorum quam acutorum

torum morborum causa est, resolvit, reducit, consumit, capellit. Præcipitatus verus Mercurii, Item, Antimonium nostræ confectionis, quod per secessum & vomitum operatur. Aliis medicamentis in hoc casu parum aut nihil efficitur. Præsente inflammatione diaphoretica, & naturam seu vitalia Elementa corroborantia sunt administranda, de quibus sæpe dictum est.

CAPUT XXIV.

De intestinorum morbis, causis, signis.

INTESTINORUM morbi graviores sunt, Obstructio, adstrictio, inflammatio, abscessus, ulcus. *Obstructio.* OBSTRUCTIO, aut alimenti prolapsionem, aut fæcis dejectionem, quæ præcipuæ sunt intestinorum functiones, interpellat. Ea fit secundùm Galenicos, à crassa, lenta, vereque gypsea pituita, quæ sensim copiosior collecta, firmiusque intestinis adhærescens, omnem eorum capacitatem replet. *Eius obstructionis causa.* Secundùm Paracels. verò obstructio intestinorum fit à tartaro, qui generatur in intestinis, quando sal rei & sal naturæ commiscentur, dum excrementa seu fæces alvi diutius in intestinis hærent. Ea autem commixtio si assidua fuerit, sensim aucta caloris vi sic tandem crassescit, ut prorsus obstruens intestina quoque infarciat, fiatque lientium difficiliumque morborum causa. Vera hæc esse testamur, inquit Fernelius, quæ tamen Galeno non admodum probabilia videntur. Hæc materia tartarea & stiptica in cellulis Coli, aut Intestini cœci diutius coërcita nonnunquam concrescit in calculos, qui excrementis viam omnino præcludunt, & *Calculus in intestinis.* quo minus ad alvum descendant, prohibent. Hæc mala cùm adsunt, animus viresque languent, ventriculi cruditas est, tardaque alvi dejectio, flatus plurimus obmurmurat, venter friget, ac nonnunquam colico dolore premitur. *Constrictio eorum & causa.* Obstructioni affinis est intestinorum COARCTATIO & ANGUSTIA. Ea autem fit eorum vi quæ ingeruntur: sive cibi sint, ut cotonea mala: sive adstringentes clysteres: vel etiam à mesenterii aut viscerum tumore intestina premente. Hocque frequent admodum est. *Inflammatio eorundem.* INFLAMMATIO quoque in intestina incidit, cùm semina arsenicalia, sulphurea, auripigmentalia in illis resolvuntur. Tunc dolor inprimis acris, isque lancinans in una eademque sede fixus provenit, febrem ardentem ferens, cum cupiditate inani desidendi, quæ hanc inflammationem comitatur. Abscessu facto ruptoque pus primum saniosum, deinde album & concoctum à podice exigitur: idque vel serosum ac sinceram, vel paulum ante fæces, à quibus detergi impellique solet. Tum dolor, febris aliaque symptomata mitescunt, & *Ulcus.* alvus impedimento sublato liberè exit. ULCUS tamen ex abscessu quàm ex tenesmo relinquitur. Hujus dolor fixus est, cujus sensu debilitata intestina sæpius onus suum deponunt, eructantque modò cruentam, modò purulentam saniem. Id, si cavum est, quoniam in parte humida consistit, & excrementis pervia, diu sordidum manet, vixque tandem cicatrice obducitur, & nisi diligenter præcaveatur, ferè vel in fistulam vel in cancrum desinit.

Cura obstructionis. CURA. In obstructione tartari in intestinis natura excrementa ad os repellit, ut ægri, (visu fœdum & miserabile) ea per vomitum rejiciant. Qui hunc tartarum vult resolvere, & obstructionem aperire, ægroto minimè *NOTA de Clysteribus* CLYSTEREM applicare debet, sicut plerique solent: sed pannum cum pinguedine TAXI, calidè applica, & impone supra regionem ventriculi. Deinde ad intra exhibe illi Spiritum Therebintinæ, qui resolvit tartarum, ut excrementa descendant ad alvum, & per viam suam exeant. Inflammationis curam & indicationes sæpe recitavimus, odiosum hic repetere. Ulcus quod in intestinis aliquando solet concarrere, per simplicia vulneraria in potu vulneratio curatur. Simplicia autem hæc sunt: Hirundinaria, centauria, pirola sylvatica coquantur cum vino in cantharo probè obturato, & in ferventem aquam imposito, usque ad consumptionem dimidii.

CAPUT XXV.

De Intestinorum symptomatis, causis, & signis.

Colica. COLICA PASSIO, Κωλικὴ ὀδύνη, seu Colicus dolor, a torminibus multis & magnis, quæ contingunt in pleniore intestino, quod κῶλον Græcis est, densum, crassum & nervosum, in quo nihil facile discuti potest, quod in illud confluit, quoniam gravissimi ac vehementissimi doloris morbus est. Æquè enim ac si quis lapidem in altero ureterum impactum haberet, aut terebro in affecto loco perforaretur, molestus esse solet, quemadmodum Galenus loquitur. *Lib. 2. c. 5. de locis affectis.* Fit autem secundùm Galenicos ea frigidis pituitosis, viscosis & crassis humoribus, quando illi obstruunt meatus in coli membranulis: vel ea flatulentis spiritibus, qui exire non possunt: vel ea inflammatione, vel ex acribus & erodentibus humoribus. Oribasius lib. 4. ad Eunapium c. 87. dicit: Quibus in colo atque intestinis mordax humor insidet, ii à calidis alimentis medicamentisque læduntur, & à cibis abstinentes, exacerbantur. In hanc sententiam plura leges apud Actuarium l. 1. c. 45. Trallianum l. 9. c. 1. Theophr. in lib. de trib. princip. c. 5. *Causa Colicæ ex Theophr.* Colica provenit ex sale in intestinis prædominante, & varia genera colicæ producit, unum genus, quando sal resolvitur: alterum, quando nimium induratur. Idem tract. 4. de omnibus morbis ex tartaro, dicit: Colicam provenire ab effusione bilis, quod ita intelligendum, cùm tartarus fellis flores suos emittit cum bile producit colicam. Idem de Tartaro c. 11. Colica & Iliaca generantur ex Tartaro, & non ex humoribus. In colica proprietates trium principiorum potentes sunt, acutæ, subitò penetrantes, & vaporosa aciditate continuas partes inficientes.

Contractura ex Colica. Resolutiones autem spirituosas iisdem facultatibus præditas, primis temporibus non emittunt, ex quibus contractura tandem proficiscitur. Ad ventriculi quoque anatomiam sæpe perveniunt impressiones colicorum contagiosæ, nauseam, vomitum & alia ventriculi symptomata excitantes. Galenicis NOTHI COLICI DOLORES dicuntur, & eorum materiam statuunt flatus tenues, aut humores acerrimos & æruginosos, membranarum spatiis conclusos, è quibus detrahi via possunt. Generationis colicæ pleniorem & satis perspicuam explicationem vide apud Danum fol. 238. 239. 240. De tarda atque pigra alvi dejectione ex tartaro & tincturis styptiis proveniente, item de excrementorum via prorsus occlusa, seu obstructione intestinorum, in qua fæces alvum præterlabi nequeunt, & MISERABILEM ILEUM *Ileus.* edunt, supra dictum est. Cùm verò ab alvo continenter cruda defluunt, aquosa nempe diluta, humentia, *Lienteria seu cœliacus affectus* colore subalbida, vel cinerea graveolentia, idque solo ventris rugitu vel murmure, nullo manifesto torminum dolorisve sensu, aut LIENTERIA AUT COELIACA EST AFFECTIO. Si enim lævia & æqualia, suique similia, & quasi chyli aut cremoris specie profluunt, cœliaca: sin verò inæqualia aut dissimilia, in quibus cibi nec obtriti, nec confecti substantia apertè cognoscitur, Lienteria est.

Causa cœliaci morbi. COELIACÆ AFFECTIONIS causa est non cruditas, non imbecilla ventriculi concoctio sed chyli imperfecta malaque distributio, quàm mesenterii, lienis, aut jecoris obstructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum, maximeque fructuum fugacium & potus immoderati copia peperit. Pulsus frequens & celer existit, tanquam febris affligeret, & dejecturis leviusculæ aquæ defectiones obrepunt.

Vacuato humore omni supervacuo profluvium sponte conquiescit, interdum eodem quo cœperat die, interdum postero aut tertio. Galenici dicunt, lienteria causam habet, non distributionis impedimentum, sed concoctionis primæ imbecillitatem, ob quam cibus crudus nihilque mutatus dilabitur: sive quod imbecillior ventriculus eum non conficit: sive quod major ille non arctè contrahit, dum integrè coquatur. Hippocrates lib. de affectibus ait: In lienteria cibis succedunt cibi non putrefacti, liquidi: Dolor autem non adest, & corpus attenuatur. De hoc morbo vide fusius apud Galenum in Aphorismis Hippocr. comment. 6. sect. 1. & comment. 4. sect. 12. Barth. Angl. lib. 7. cap. 50. Phrisium in speculo parte 4. Alex. Benedict. lib. 20. c. 7. & 8. Theophrast lib. 1. paragraphor. de morbo dissoluto. Theophrastus facit sal corruptum & resolutum hujus morbi causam. Omnis morbus laxus, ait, à sale regitur, ut dysenteria, diarrhœa, lienteria. Ergo ejus cura per salia & sulphur fieri debet: in libello de tribus

Diarrhœa. princip. cap. 5. Diarrhœa est species dysenteriæ, Latinè Profluvium alvi aut ventris. Lienteria, Diarrhœa, & Dysenteria sunt cognatæ species, cognati morbi, quos sæpe Medici conjungunt quia ferè inter se conveniunt. Galenus ita definit: Diarrhœa est profluvium ventris non recens, sed longi temporis, cum torminibus & multis excretionibus, quæ omnia corpus extenuatum debilitant. Symphorianus: Diarrhœa est jugis ventris cursus sine vomitu, liquida alvus, & sæpius, quàm ex consuetudine fertur, atque interdum tolerabilis dolor est interdum gravissimus, idque pejus est. Sed uno die fluere alvum sæpe pro valetudine est, atque etiam pluribus, dum febris absit, & intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, & quod intus læsurum erat, utiliter effunditur. Verùm longius spatium periculosum est. Turnheuser dicit diarrhœam generari ex frigido & humido, in Piso. lib. 4. cap. 9. Galenici faciunt diarrhœam biliosam & melancholicam.

Diarrhœa duplex Biliosa & melancholica Diarrhœa biliosa est, qua bilis flava aut citrina ardens ac plerunque spumans emanat, idque sine magna ventris torsione, quod liberè per laxas patentesque vias defluat. Diarrhœa melancholica, aut de liene aut mesenterio prodit, cum oppressa natura naturalem melancholiam seu bilem atram in alvum excutit exturbatque. Hæc autem cæteris multò est insolentior.

Colliquatio intestinorum. Intestinorum Colliquatio ad diarrhœam quoque referri potest, in qua quod infernè procedit, quasi adipe vel oleo perfusum cernitur. Hinc autem fit, quod recens concreta pinguedinis carnisve aut etiam (tum protrahente vitio) solidarum partium substantiâ liquescat, defluatque in alvum. Familiare hoc quidem profluvii genus pestilentibus febribus, & Causo colliquanti, & hecticæ, & phthisi, & atrophiæ, nonnunquam etiam viscerum inflammationibus.

Dysenteria Dysenteria, id est, alvi difficultas. Galenus dysenteriam reddit Intestinorum ulcus: de loc. affect. lib. 6. cap. 2. In lib. Hippocratis de artic. comment. 4. Dysenteriæ vocabulum Hippocr. non pro ulceratione intestinorum, ut plerique Medici solent, sed pro cruenta ex intestinis proluvie sumere videtur. Celsus Dysenteriam simpliciter, Tormina, reddidit. Hippocr. De Affectib. Hic morbus fit quando bilis & pituita in venas ac alvum incumbunt, ægrotat quidem sanguis, & corruptus succedit: ægrotat autem & intestinum, raditur & exulceratur. Fit autem hic morbus & longus & exulceratus, laboriosus & lethalis: & siquidem adhuc robusto corpore curetur, spes est salutis. Si verò colliquato jam ventre & omnino exulcerato, nulla spes vitæ superest. Galenus & ejus asseclæ hanc in tres species distinguunt, meo quidem judicio inutiles.

Causa & generatio dysenteriæ. Causa morbi dissoluti dysenteriæ principalis est pœna divina: quod probatur Levit. 26. Deuteron. 28. DEUS puniens homines utitur causis secundis, tanquam instrumentis, & aërem proprietatibus Saturninis & arsenicalibus, colocynthiacis, elleborinis inficit, quem homines inspirando attrahentes, balsamum naturæ inquinant, & corpus totum corrosivis illis & purgantibus tincturis transmutatur, ut per superiora & inferiora nutrimentum humidum radicale, primùm quidem excrementa ejiciant, denique excedit oscula venarum, ut profluat sanguis, colliquat viscera principalia, eorum essentiam exturbat, & tandem substantiam ipsam variis coloribus, & intestina corrasa intolerabili dolore. Cruenta alvi dejectio, qua cruor sine dysenteria sive tenesmo defertur, raro ex jecoris imbecillitate fit, sæpius ex apertis internis hæmorrhoidibus: qui

Hæmorrhoidum purgam. seorsum purus ac rutilus exit, ex aperta hæmorrhoide est, quæ hunc proximè è vena cava profundit, modò egestionis initio, modò fine, & in ipso egerendi conatu. Interdum & grumus sanguinis rubeus hinc procidit, tum hæmorrhois stillat in recti intestini capacitatem, in qua omnino coit.

Lumbrici triplices. Lumbrici ex omnibus partibus corporis maximè intestina occupare solent. Sunt autem triplices, alii sunt Rotundi seu Teretes, infantibus familiares, qui & interdum per os & nares ejiciuntur, Græcè στρογγύλας vocant, & gignuntur in gracilioribus intestinis & stomacho, & sunt terrestribus lumbricis similes. Alii sunt lati & miræ longitudinis. Alii sunt tenues & breves, Græci ἀσκαρίδας vocant, & sunt in recto intestino & extremo ani, aliàs Cucumerini & Cucurbitini vocantur. Vide Galen. in Aphor. Hippocr. comment. 6. sect. 26. Nascuntur autem lumbrici ex crassa cruda pituitosaque materia, putredini obnoxia, vi caloris vehementioris, qualis in pueris & voracibus hominibus colligitur. Lumbricorum signa sunt ventris distensio cum murmure atque torsione, lientericum profluvium, corporis dissolutio, faciei pallor, oculorum suffusio, narium pruritus. Cumque sursum obrepunt agitari, maximè per inediam & penuriam cibi, intestina morsu & succu feriunt, siccam tussim movent: oris ventriculi præcordiorumque compunctiones, animi defectiones, syncopas: adscensu verò tremorem, devorandi conatum & strangulandi metum inferunt, quibus malis infantes plerumque sunt extincti.

CURATIO. Ileus, qui & volvulus, à convolvendo, quod in eo intestina chordæ instar convolvi videantur. Est gravis & lethalis dolor ex ciborum corruptione & cruditate secundùm Galenicos, inprimis verò à pinguibus carnibus, quæ obstructionem in intestino tenui efficiunt. Vocatur & Miserere mei, quia medicamentis ad eum morbum perveniri non potest à Galenicis. Galenus in Definitionibus medicis, Ἰλεός ἐστι φλεγμονὴ τῶν ἐντέρων. Ileus seu tenuioris intestini morbus est intestinorum inflammatio, ut nec flatibus nec dejectionibus exitus pateat, & tormina vehementia consequantur, & cruciatus superveniant.

Definitio Colicæ & Ileon. Differunt Colica & Iliaca: quia Colica est in intestino quod Colon dicitur. Iliaca est dolor in intestino tenui, quod Ileon dicitur. Iliaca est supra umbilicum iuxta costas: Colica infra umbilicum. Dolor Iliacæ major est ac colicæ. Iliaca excrementa & vermes per vomitum ejicit: colica non item. Theophr. dicit: Iliacam passionem, de qua actum est sub obstructione intestinorum esse ex tartaro, qui adhæret tenui intestino. Ejus curam, quamvis recitavimus, tamen adhuc aliquid adjiciemus. Misce Pinguedinem taxi cum oleo Chamomillæ, intinge pannum laneum, impone loco affecto, si non cessat dolor, exhibe ad interna. Hoc solvit tartarum. Item: Inunge locum affectum oleo Juniperi. Barth. Anglus, lib. 7. c. 84. Item curatur per Solem, subtilitates, oleum salis communis, aut maris & salis gemmæ Turnh. in Pis. l. 4. c. 7. & l. 5. c. 7.

Colica

Colica curatur spiritu Vitrioli, tres vel quatuor guttæ in aqua assumptæ, aut balsamo sulphuris aut oleo therebintinæ.

Indicatio Paracelsi. Colica generatur ex sale, necesse igitur ut sal humanum & naturale corporis humani per salia Elementata corrigatur. Lapidum omnia genera, quæ in capitibus piscium reperiuntur, trita & cum vino exhibita, colicum dolorem compescunt, & calculum, *Colicæ & calculorum remed.* qui in renibus de fixus latet, atterunt comminuuntque, Galeno & Avicenna attestantibus. Theophrastus dicit, constipationem esse tollendam Quinta essentia coraliorum torsiones, hoc est colicos dolores abigit. Item: Inunge locum affectum seu ventriculum Oleo Chamomillæ, & superpone orbem mensalem pinguedine illitum, concalefactum, & super orbem pannum calidum. Aqua Mercurialis exhibita radicitus tollit colicam, gustum habet acetosæ, cujus processus hic est. Mercurius primum reducitur in aquam, in hujus aquæ dimidiam quartam aliam Mercurium crudum & purgatum infunde, qui etiam in aquam convertitur, ut ascendat alembicum. Spiritus therebinthinæ de Larice arbore XII. vel XIV. guttæ administratæ in appropriato, vel per se præsentissimum est remedium. Item Laudanum Paracelsi opiatum. Cœliacæ cura est, ut mesenterii, lienis, aut jecoris obstructio auferatur medicamentis tartarum resolventibus, & virtus attractiva confortetur. *Cura Lienteria.* Ad curandam lienteriam tollatur tartarus, expellaturque medicamentis supradictis de obstructione. *Cautela.* Cautio autem adhibenda est, ne fluxus alvi intempestivè & nimis citò sistatur, adstringentibus medicamentis. Id enim maximo cum periculo & plerunque vitæ fieri solet. Talia autem medicamenta sunt adhibenda, quæ naturam confortant, ut contraria expellat. Ipsa enim optimè novit modum & terminum sistendi: non tamen purgantia adhibenda sunt, quod Galenici suadent. Lienteriæ, Diarrhœæ, Dysenteriæ, & variis ventris fluxibus medetur Terra sigillata cum vul- *Laus Terræ sigillatæ.* gari Lemnia (nonnunquam pauxillo boli addito) in potu pendula, ut semper inde bibatur. Joh. Montanus dicit, hoc medicamento sese innumeros liberasse. Diarrhœa curatur per Aquam de Lapide Asio, per Terram sigillatam, præsertim rubeam, aut Lemniam, aut Austriacam, quæ non procul à Nüstadio invenitur & eruitur. Lege Theophr. lib. 1. Paragraphorum, titulo De morbo dissoluto, item tract. 1. lib. 1. præparationum, & lib. 1. tract. 2. præparat. & tractatu tertio. Oleum Martis ad Diarrhœam, Lienteriam, Dysenteriam, fluxum hepaticum, ad ventriculi corroborationem & ad omnes hæmorrhagias internas & externas præstantissimum, & non mordax medicamentum est, si Conservæ rosarum permisceatur.

Præservativa in Dysenteria epidemiali. Præservativi generalis dysenteriæ ratio est reconciliatio cum DEO. Deinde aër infectus est alterandus, corrigendus Baccis & ligno Juniperi, angelica, imperatoria, ligno fraxini. Ditiores sumunt Angelicæ, Pimpinellæ ana ℥ß. Citrini & albi succini ana ℨj. Thuris albi & nigri ℨj. Mastiches, asæ dulcis, Camphoræ ana ℨj. hæc pulverisentur, & mixta inspergantur carbonibus. Tertiò, ab impuritatibus corpus liberandum, & temperanter vivendum. Quartò Alexipharmaca & Diaphoretica seu potus pestilentialis adhibendus est, uno die mane de alexipharmaco magnitudine duorum pisorum assumat, sequenti die XXX. guttas diaphoretici aut potus pestilentialis in potu convenienti. Hoc præservat ab omni infectione, & confortat balsamum naturæ.

Curativa. CURATIVA. Quamprimum se quis infectum senserit sumat ℨj. alexipharmaci, sequenti die ℥ß. potus pestilentialis, seu nostri diaphoretici, & hoc alternatis vicibus per aliquot dies continuare debet, donec venenum omnino expellatur. Omnes enim ii erraverunt toto cœlo, qui secundùm Galenum & Paganos medicos absque antidotis & expulsione veneni dysenteriam curare conati sunt, quod experientia testatur. Post expulsionem veneni utantur curativo appropriato, & spagyricè præparato, magnitudine fabæ unius, donec omnino fluxus sistatur. Si autem infantes lactentes hoc morbo corripiantur, nutrices illud assumant, ita infantes accipient in nutrimento lactis. Curativum autem extrahitur ex sequentibus: Ex Bolo Armeno, Croco Martis, Terra sigillata Strigoniense, corallis, hæmatite, tormentilla bursæ, pastoris plantagine, bistorta, Acoro luteo, mastiche, thure, rubeo sandalo. Qui autem viribus omnino exhausti, & nimis serò opem Medici implorarunt, illis exhibendum est Laudanum Paracelsi, junioribus grana quinque, adultioribus grana decem. *Vires Laudani veri Theophrasti.* Hoc est præstantissimum medicamentum, quo periculosissima symptomata tolluntur. Vide Paracels. lib. 1. de morbo dissoluto. Spiritus Vitrioli acetositate sua enecat vermes, guttas quatuor in jusculo si sumas, aut potu cibóve. Stœchas citrinum in vino coctum omnes vermes è corpore pellit. Idem præstat Ol. Absynthii umbilico inunctum. Verum autem oleum illud facit, non quod more Apothecariorum alterius olei additione, sed spagyrica præparatione factum est. Ol. Amygdalarum amararum interficit & expellit amaritudine sua omnes vermes. Fel tauri integrum excisum impone infantis umbilico, & omnes aufugient è corpore. Aliud: ℞ Vermes terrestres, exsicca, pulverisa, exhibe in lacte vel alio liquore, expellit omnes vermes per alvum in intestinis & ventriculo habitantes. Theophr. in lib. de vermibus cap. 10. Vide præparationem stanni, cupri & therebintinæ contra vermes apud Theophrast. Cerevisia condita, cum Absynthio hausta, item cum Juniperis contusis enecat vermes. Item de Centaurea, quæ etiam necat & expellit omnes vermes. Flores Amaranthi lutei in vino decocti lumbricos educunt. Aqua florum persici, & extractum foliorum betulæ, mixta & administrata, vel quodlibet per se exhibitum, expellit vermes. Idem facit pulvis tormentarius. Turnheuserus lib. 2. cap. 35. in Pis.

CAPUT XXVI.

De affectibus Ani.

ANUM hi affectus occupant: Phlegmone, Abscessus, Fistula, Scissura, Condyloma, & hæmorrhois. *Phlegmone.* INFLAMMATIO in ano quoque fieri solet, quando sanguis semina arsenicalia & sulphurea in carnes deponit. Dolor inest admodum acerbus, isque lancinans, & qui premendo exacuitur, foras interdum prominet, alvus non nisi difficulter & summo cruciatu exit, & interdum per dies multos sistitur, comitante etiam febre, ut & urina, ob viciniam affecta vesica. *Abscessus.* ABSCESSUS è phlegmone relinquitur, qui in recti intestini cavum sæpius, quam in cutem erumpit: quandoquidem parte molliore exedens pus sibi promtius viam parat. *Ulcus.* Rupto abscessu ULCUS manet, putulentum & sordidum: id autem in fistulam brevi degenerat. Vix enim parte humida & excrementis pervia coalescit, sordiumque copia callosum diutissimè manet, etiam dolore sedato. *Scissura.* RHAGADES, id est, fissuræ, ani ulcuscula ob longa sunt, quibus sphincteri arimæ proscinduntur, iis similes, quæ inferius labium, & manus pedesque dilacerant. *Condyloma.* Condyloma diuturnum est tuberculū, in ani margine ortum, aut verrucæ, aut grani uvæ, aut maturi mori, aut ficus effigie. Galenus: Κονδύλωμα ἐστὶ δακτυλίου [illegible] ἐπανάστασις μετὰ φλεγμονῆς: est *In Definitionibus medicis.* ani eminentia cum inflammatione: est exuberatio

quæ in ani parte rugosa cum inflammatione excitatur. Ita describit etiam Celsus lib. 6. cap. 18. Condyloma est tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet. *Hæmorrhois.* HÆMORRHOIS est apertio oris illius venæ, quæ est in ano, unde sanguis effluit, sicut videmus in multis annis temporibus interpolatis. Symphorianus in 4. librum Etymol. Isidori. Galen. dicit, est ἀνάστομα, hoc est, dilatatio vasorum sedem ambientium aut protegentium: ac dicitur ita ἀπὸ τῆς ῥοῆς τοῦ αἵματος, ἀπὸ τῆς μὲν τὸ αἷμα δι' αὐτῆς: quod sanguis per eam fluat. In definit. medic. Ea ex atro melancholicoque, id est, tartareo sanguine fit, qui è cava in extremum venæ profusus, nondum tamen illinc præ loci duritie exiliens cumulatur, idque implet, & in ficus speciem distendit. A condylomate autem distat, quod & breviore tempore fiat, & affligat gravi dolore, quodque nondum in callosam, duriuem concrescat. Atque ea Cœca appellatur Hæmorrhois, cùm nihil sanguinis effundit. *Cœca hæmorrhois.* Hæc est hæmorrhois externa quæ conspicua est ex ano surgit & prominet: ficum seu mariscam vocant. Vide Cels. lib. 6. cap. 3. In multis est lethalis, si diutius duret. Ergo principiis obstandum. Interiores hæmorrhoides, cùm venæ aut multo aut acri turgent sanguine, nullo sensu tumoris dolorisve supervacuum sanguinem eructant, idque solum in egerendi conatu. Atque is scutim conspicitur, fæce minimè permistus. *Procidentia ani.* Anus procidit, modò sponte, modò egerendi conatu, apparetque sphiocter totus, interdum inversus atque provolutus. Causa est musculi resolutio seu laxitas, ex multi humoris profusione: qua ratione pueris & infantibus quàm adultis id vitium crebrius accidit.

CURA.

Curatio superiorum affectuum. INFLAMMATIO si qua inciderit, Diaphoreticis est curanda. Si Ulcus ex abscessu relinquatur, cùm extrinsecus commodè non curetur, medicamentis internis & potionibus vulnerariis est tollendum.

Rhagades & condylomata Oleo Therebinthina, Oleo Chamomillæ, & Oleo ovorum illito sanantur.

Hæmorrhois cœca, externa, ficus seu marisca curatur per Aquam Mercurii. Turnheuser in Pison. lib. 4. cap. 7. Item per Aq. sulphuris, biruginis, musci. Item per herbas, fœnumgræcum, Veronicam, cuscutam, condryn, melissam, lunariam. Vel inunge balsamum sulphuris. Rolandus. Paracelsus de natura rerum lib. 9. non procul à fine dicit, hunc affectum optimè curari Oleis, ut sunt Oleum Therebinth. Ol. Camomill. Ol. ovorum, &c. Aperiatur autem primum, ut alia ulcera, cum corrosivis, sed talibus, quæ non lædunt rectum intestinum, ut Vitriolum album, atramentum, Ol. lautinum, Ol. Hispanicum applicatum. Ad hæmorrhoides internas ciendas conducit Cæpa confricata. Ad hæmorrhoidum defluxiones Libanotia emplastri modo imposita, rubi folia adhibita, palmulæ illitæ. Vide Theophr. lib. 1. præparation. tractat. 1. Ol. Coralliorum, & Ol. Martis in hac cura principatum tenent, & sunt vera medicamenta ex anatomia & arte signata.

In curatione Procidentiæ ani, adstringentia sunt adhibenda, ℞ Boli Armeni præparati, Mastiches, Balaustiarum, Cupularum glandium, Salviæ ana ℥j. misce, fiat pulvis. Hunc pulvisculum insperge linteo, & in anum impone, ita confortantur ligamenta ani, & colon quod exit adducitur.

CAPUT XXVII.

De morbis Renum, causis, signis.

RENES morbi pauci exercent: Inflammatio, Obstructio, Abscessus, Ulcus. Galenus in definitionibus Medicis: Nephritis est inflammatio renum cum vehementi dolore: interdum ei conjuncta est mingendi aut urinæ difficultas cum fibrosis excretionibus, aut arenosis, aut modico sanguine. *Nephritis quid.* Inflammatio renum juxta saniorem Philosophiam, sicut in aliis membris & partibus, ita quoque in renibus generatur ex Ente veneni Sulphuris, Antimonii, Arsenici. Nephritidem adesse testatur ardor ingens, dolor gravia ac pulsans in ea inanitate, quæ est inter extremam costam & coxendicem. *Ejus signa.* Hæc & vicinas partes, quæ circum præcordia sunt, circum lumbos, circum coxendicem, pubem atque partea obscœnas distensione convellit. extremorum frigus, atque cruri è directo sito stupor inest. Mictio cum ardore atque labore frequens, principio tenuis, & cruda, deinde crassa atque mucosa: alvus impedita & pigra. Hinc ventris distensio, febris assidua, nausea, ructatio, crebraque vomitio. *Causa obstructionis renum.* Renis obstructio varias habet causas: arenulas, calculum, humorem crassum & viscosum. Rarum quidem est vasque unquam compertum, inquit Fernelius, ut à solo humore vel crasso vel lento ren totus obturetur: à calculo aut arenulis sæpissimè, à quibus etiam solis urina supprimitur. Arenulæ autem non in interiore cavo visceris, sed in propria renum substantia proveniunt, à qua duræ sunt & rubræ, & renis substantiam coloremque retinent. Illinc fluendo urinæ impetu raptæ feruntur in cavum renum, protrubunturque in vesicam per ureteres, & urinam reddunt arenosam.

Lithiasis est generale vocabulum, calculum renum & vesicæ denotans. *De Generatione calculi in diversis locis corporis.* Nascitur autem calculus juxta Galenistas in quinque locis corporis humani: in pulmone, intestinis, renibus, vesica & maxillis. Verùm experientia testatur, & in cerebro, Mesenterio, liene, jecinore, ventriculo, matrice, juncturis articulorum & compluribus aliis humani corporis partibus calculos generari: idque anatomicorum industria deprehensum est. Si calculus est in renibus, arena accedit ad rubri colorem, quæ est in urinæ fundo: & dolor est in lateribus, & in mictu emittitur urina plerumque absque dolore. Calculus renum generatur ex assidua cruditate & ardore renum secundùm Galenicos. Fernelius causam efficaciorem longeque crebriorem statuit, nimirum insitam renum arenosam calculosamque constitutionem. Hanc quisquis à parentibus contraxit, vix ulla ratione calculi tormenta effugiet, quandoquidem hoc vitium omnium est maximè hæreditarium ut non paucis cum renibus calculus procreetur. Calculus renum secundùm Paracelsum generatur ex tartaro cruoris & urinæ. Hic deinde è renum substantia exturbatur in cavum, cumque evellitur, renis partim cui adhærescebat, sine doloris sensu divellens & quasi dilacerans, saniem prolici, quæ pariter cum urina profunditur, eamque crassam turbidam subnigramque reddit. Calculus autem exceptus renis capacitate si exiguus est, non multò post tempore se in caput ureteris infert, ex quo magna vi, summoque dolore nephritico in vesicam procedit. Si crassiusculus & salebrosus ac asper fuerit, in via diutius hæret, & magno cruciatu ureterem lacerat, in renis verò capacitate permanet, cùm præ crassitie non satis lata illi est ureteris via. Nephriticus dolor acerbissimus est renum cruciatus, aut certè ureteris, cujus est sensus eximius. *Dolor nephriticus.* Hic dolor nil aliud est, quàm paroxysmus calculi in renibus, aut ureteribus delitescentis. Creber admodum est, & mul-

Abscessus renum. & multis frequens hic dolor. Renum abscessus, quo purulenta materia coercetur, rarius ex phlegmone fit, sæpius ex sordido ulcere. Ulcus autem rarò est ex Phlegmone: crebrius ac ferè semper à calculo intus concreto fit, qui vel pondere renes contundit, vel attritu comminuit exeditque. Hujus signum est, quod modo pus, modo mucosum quiddam urinæ permistum defluit. hinc que urina redditur alba, turbida, lactis sero persimilis, quo tandem quieta sedimentum id purulentum mucosumque deponit.

Cura inflammationis renum. CURATIO. Inflammatio per expulsionem veneni diaphoreticis curatur. Obstructio verò renum tollitur subtiliatibus & secretis Veneris: quæ magna vi & potestate omnes renum obstructiones aperit & hostem à regione ejus quasi manu armata arcet atque pellit. Lap. Nephriticus ex nova Hispania allatus in in nephritide & stomachi doloribus abdita quadam & abstrusa facultate, si de collo suspensus gestetur, valde commendatur. De lapide nephritico, cui primæ ac spectatissimæ partes tribuuntur in nephritide ac stomachi doloribus, pro medicinis id genus omnibus, quem Indi illa de causa gestant variis formis effigiatum. *Virtus lapidis nephritici ex Occidentali India.* Tanta enim vi prææditus memoratur, ut si brachio alligatus gestetur, æger statim relevetur, dolor minuatur, plurimumque arenarum & calculorum expellatur. Quod si quis armillam sibi ex isto lapide efficiat, quam perpetuo gestet, nullo calculi dolore, donec gestatur nephriticus ille seu æger adficitur. Idem de Ligno nephritico, efficacissimis viribus prædito in renum affectionibus, urinæ difficultate, jecoris & lienis obstructionibus. sive decoquatur, sive ex vino bibatur, sine ulla humorum commotione, quæ ferè alias medicinas comitari solet, sine victus ratione ulla exquisitiore, modo illa moderata sit. ne vires medicamentosas & plane admirabiles ejus ligni strangulet. De remediis nephritidis consule Phrisium in speculo parte 4. lib. 5. tract. 6. cap. 1. Barthol. Anglum lib. 7. cap. 54. Alexan. Benedict. lib. 22. Calculosi bibant Cerevisiam Betonica conditam. *Sylva & syndrome remediorum contra calculum.* Calculum vesicæ & renum comminuit propellitque Cerevisia laurina hoc est de baccis lauri confecta: Item cerevisia cum Pulegio aut Artemisia condita. Item ℞ Cinerem fabarum majorum, affunde vinum, & bibe quotidie. Tartarum renum solvit Dialacca, Justini Imperatoris lithothripeon, diacalaminthum, diatrion pipereon, diasulphur. Singulo mane tres guttæ Olei Vitrioli rectificati, exhibeantur in aqua Petroselini.* Idem præstat Spiritus Vitrioli. Calculus enim renum & vesicæ nil aliud est quam tartarus seu sal tartari. Spiritus Therebinth. aut Vitrioli in spiritu vini administrati resolvunt & expellunt calculosam materiam. Calculum comminuit Lapis rubeus in omnibus ferè spongiis repertus. Notissimus hic lapis est, quòd rarissimæ sint spongiæ, quæ hoc lapide careant. Lapis Judaicus in Judæa natus. Lyncurius è lyncis urina natus est ex genere succini, quoniam ad ejus instar paleas atractu ad se rapit. Item Cicer sativum, nigrum & rubeum, quia cicerum rubeorum decoctum valde diureticum est, & calculosis saluberrimum, nigrum venenis medetur, & calculum frangit. Seminis Saxifragæ plantæ albæ, præsertim autem renum calculo medetur. Vide Joseph. Quercetan. de medicam. spagyr. præparatione cap. 6. fol. 94. Calculum pellit quoddam Gummi, ut Gummi cerasorum, vino potum. Quidam lapides, ut Lyncurius qui stillicidia urinæ sanat, & calculos vesicæ elidit haustus. Vide Quercet. in respons. ad Aubert. fol. 14. 15. Item herbæ & radices: ut Radix Ononidis Eryngii Betonica, Verbena, Salvia, Baccæ hederæ, Scordium, Artemisia, Radix graminis & Asparagi, Pulegium, Pentaphyllon, resina Abietis, Nasturtium aquaticum, radix Pimpinellæ minoris è sicco loco petitæ, urticæ. Item sanguis hirci frangit & solvit Adamantem, ita etiam calculum. Item Pulvis de toto lepore calcinato, ut & passercolus troglodytes. Vitrum ustum, alauda cristata, lapis in vesica apri, ossiculum è leporis articulo posterioris pedis, ossa mespilorum, lithospermon, gummi prunorum. Item Coralia, lapilli astacorum & aut in capitibus piscium quorundam inveniuntur, testæ ovorum, ex quibus pulli sunt exclusi.

CAPUT XXVIII.

De morbis Vesicæ, causis, signis.

Affectus vesicæ Calculus, Inflammatio, Abscessus, Ulcus. VESICA Calculo crebrius affligitur, Inflammatione & abscessu admodum rarò, Exulceratione nonnunquam. Vesicæ Calculus magnitudine, substantia, colore, figura atque situ plerunque variat, nec uniusmodi cernitur in omnibus, hinc & varia symptomata laborantes exercent. *I. Calculus.* Calculus vesicæ ex sale urinæ per Elementum ignis Microcosmici generatur. Hujus causam Galenici omnes tradunt crassum esse crudumque succum, qui per venas cum urina in vesicæ capacitatem influat, in qua tanquam fæx subsidens loci calore exarefactus sensim lapidescat. *Fernelii sententia.* Fernelius verò ab eorum sententia dissidens, dicit se comperisse, omnem calculum in vesica rudimentum quoddam è renibus traxisse, è quibus per nephriticum dolorem excidens, si grandiusculus est, in vesica aliquandiu hæret, ac plerunque persistit, illicque allatarum sordium adhæsione coagmentatur, dum verus confirmatusque lapis fiat. Propria calculi vesicæ SIGNA hæc ferè sunt: *Signa Calculi vesicæ.* Vaga quædam & oberrans circa pubem & peritonæum titillatio siquidem exiguus & lævis etiamnum est. Cùm verò grandescit, incumbentis gravitatis pondus percipitur, ut idcirco difficilis & doloris plenus per salebrosa loca fit incessus, multoque difficilior saltatio. Mictio crebescit, adeo ut tandem assiduo meiendum sit, vixque possit urina cohiberi. Cùm mejendum est, urinæ fluor repente interrumpitur, obviam impulso calculo, sicque minimè continuata, sed intercisa est mictio. Ac dolor alias universum pudendi ductum, alias glandem solam affligit, isque acerrimus sub emictionis finem, cùm calculus urinæ cursu incitatus quasi proditurus sphincterem vehementius comprimit. Mejendi conatum comitatur desidendi cupiditas, quod calculi magnitudo è peritonæo rectum intestinum uti cervicem vesicæ extimulet. Urina alba, crassa, turbida redditur, cùm grandior calculus jam diu in vesica est detentus, in qua sedimentum purulentum est, aut narium mucori persimile. *Vesicæ inflammatio.* Inflammatio quoque in vesicam incidit, non quidem vesicæ substantiæ, ut quæ tenuis exsanguisque est, sed sphincteri cervicis musculo insidet. In ea febris ardens & acuta infestat: dolor perquam acerbus & lancinans in peritonæo cum rubore & ardore excruciat: urina supprimitur, summa tamen mingendi desiderio & conatu: alvus solito adstrictior est, quia rectum intestinum inflammationis magnitudine coarctatur: pubes atque pecten ad umbilicum urinæ copia distenditur. Catheter præ loci angustia immitti non potest, sed & imprimis periculosa est irritatio, ut sæpe hic affectus in Gangrænam vel sponte abeat, è qua vix unquam ullus servatus est. Ex Abscessu, si servetur æger, ulcus in sphinctere manet,

cavum ac ſordidum, è quo cum urina craſſa modò ſanies, modò pus copioſum & graveolens excidit, tandemque ſubſidit in imo. Veſicæ corpus, ipſaſque ureteres levior interdum Exulceratio occupat, qua interior duntaxat pellicula taditur. Ea plerunque fit à contundente corrodenteve calculo. Ab ea quæ in ureteres conſiſtit exulceratione dolor inter renem & pubem affligit, & pus capillorum ſpecie natat in lotio. Ab ea verò exulceratione, quæ in veſica eſt, urina contineri nequit, aſſidua meiendi cupiditas urget, neque laborans erectus ſtare poteſt. Ingens cruciatus & indeſinens, veſicam, pubem peritonæum obſidet, maximus verò mictionis tempore. In penis quoque ductu ab eiſdem cauſis levis quoque fit exulceratio, abraſa interiore tunicula. Inter mejendum urina acrem in pene dolorem parit, præſertim cùm fluere vel incipit vel deſinit: quemadmodum in veſicæ exulceratione perpetuus & indeſinens eſt dolor. Fiunt & in urinæ ductu exulcerationes ſordidæ atque cavæ, illis multò deteriores, cujusmodi hoc ſeculo frequentes protulit Venerea lues. Priapiſmus eſt penis arrectio & incrementum præter naturam, permanens citra libidinis ſtimulum. Hic interdum cum inflammatione, interdum citra hanc exiſtit, cum inflatus colis quodammodo retano diſtenditur. Cauſa eſt flatulentus ſpiritus, pudendi arterias fiſtuloſumque nervum affatim implens. Præcipua partium obſcœnarum ſymptomata ſunt rei Venereæ Impotentia, atque Gonorrhœa. Impotentia ea fit, aut quia extincta virilitate ſemen intus non gignitur, aut quia emitti non poteſt. Extinguitur virilitas, ex ſenio, ex morbo, ex cauſis omnibus, quæ inſitum ſpiritum, roburque diſſolvunt: ex incantamentorum (nec enim fabuloſum hoc eſt) maleficiis: ex medicamentis, quæ genitale ſemen aut proprietate, aut qualitate manifeſta perimunt. Non mittitur verò ſemen in vaſorum obſtructione, atque partium obſcœnarum paralyſi. Gonorrhœa eſt invita & nimia ſeminis profuſio citra Venerem, citra libidinis inſomnia, citra colis tentiginem, levi quodam aut nullo oblectationis ſenſu, titillatuve facta. Malum quidem eſt Gonorrhœa mulieribus periode atque viris commune.

Exulceratio veſicæ & vicinarum partium. — *Priapiſmus* — *Ejus cauſa.* — *Impotentia rerum venerearum.* — *Gonorrhœa*

Cauſa Gonorrhœæ. Effluvii cauſa eſt ſpermaticarum partium imbecillitas, qua vel non concoqui vel non retineri ſemen poteſt, tantiſper dum coquatur atque craſſeſcat. Invaſit hoc ſeculo in humanum genus ex lue Venerea quoddam vitium Gonorrhœæ finitimum, quod idcirco fœdam & virulentam Gonorrhœam appellamus. Principio virus album aut ſubcitrinum è vaſis ſpermaticis ſine ſenſu excidit, vigilanti pariter atque dormiendo. Cauſa eſt ſpermaticorum vaſorum imbecillitas, ex venenata lue contracta. Hæc enim efficit, ut quicquid in his vaſis colligitur in tetrum fœdumque virus faceſſit: quod deinde contagio alium quemvis contaminat. Tempore virus hoc putreſcit, & acrimoniam acquirit, ductum penis in tranſitu exedit atque exulcerat. Diuturnum quidem penis ulcus eſſe ſolet, & vix unquam ſponte convaleſcit.

Symptomata mictionis. Diabetes. Meiendi porrò ſymptomata ſunt, Diabetes, Urinæ incontinentia, Iſchuria, Dyſuria, Stranguria, mictio cruenta. Diabetes (à διαβαίνειν) hoc eſt tranſitus, urinæ fluor. Eſt autem diabetes incontinentia urinæ aut paſſio diuturna circa renes, in qua ſupra modum ſitiunt infirmi, & ſubinde bibunt, & reddunt abundanter quod biberunt, eotamen mutato in ſua qualitate. Diabetes fit ab imbecillitate retentricis renum facultatis, & fortitudine attractricis. Quare fit, ut cum humor undiquaque attrahatur, & in renibus non contineatur, immenſa ſitis naſcatur. Fit autem ex tartaro renum, quando renes omnino obducti ſunt tartaro tartarus ille ſeu ſiccum coagulatum deſiderat humidum, quod cum attraxerit inquinati ſpiritus mechanici renum tartareis & ſtipticis tincturis purum ab impuro ſeparare non poſſunt ſed crudum ad veſicam tranſmittunt, quæ cum urina ut excrementum expellit.

Cauſa diabetici affectus ex tartaro.

Iſchuria. Iſchuria huic contraria eſt, ut qua prorſus urina ſupprimitur, nec hujus quicquam exit. Una ſuppreſſæ urinæ cauſa eſt adſtrictio vel obſtructio. Hæc ex tartaro etiam provenit.

Stranguria Stranguria urinæ ſtillicidium eſt, cùm urina ſtillatim guttatimque redditur: id alias quodam conatu, ſed dolore nullo: alias vehementi dolore & irritatione fit. Quod guttatim ſtillet, Iſchuriæ: quod vero ardeat & ſtimulet, Dyſuriæ rationem ſubit.

Dyſuria. Dyſuria eſt urinæ difficultas, cum ægrè procedit lotium, vel quando urina difficulter & non ſine dolore excernit. Theophr. lib. 1. Paragraph. dicit, Dyſuriam venire ea tartaro ſtomachi acutiſſimo.

Cruenta urina. Mictio cruenta eſt, quæ ſanguine perfunditur. Cum autem ſanguis urinæ permiſcetur, ſi copioſus eſt, vel à renibus excidit, vel à ſphinctere cervicis veſicæ muſculo. Qui à renibus defluit, urinæ toti exquiſitè permiſcetur, ut ea quaſi dilutus & tenuis ſit ſanguis: hic verò mox ſubſidet rubicundus, liquidus minimeque concretus. Qui porro ſanguis à ſphinctere muſculo in veſicæ capacitatem inſtillatus mictionem cruentam reddit, urinam non æquabiliter perfundit, ſed ſubſidens in imo, concreſcit in grumos.

Cura Calculi. CURATIO. De modo extrahendi lapidem inciſione facta hic non agimus, ſed iis relinquimus, qui altiora inveſtigare non poſſunt, & qui tantum circa externa corporalia, quæ in oculos incurrunt, verſantur. Theophr. in tractatu de Tartaro dicit, nullam præſtantiorem medicinam in calculo indurato & conſummato reperiri, quam cryſtallum, & hæc verba ſubjungit: Felix qui eum præparare novit. Præparatio autem talis eſt, ♃ cryſtalli ℥ j. Salis armoniaci ℥ iij. pulveriſa, & eleva ſpagyrico more, idque ſepties. Ex hoc elevato & ſublimato cryſtallo extrahe alcali cum aqua deſtillata. Doſis ejus ʒß. in Aqua Petroſelini, vel alia appropriata. Idem præſtat Sal tartari & oleum tartari aurei coloris. Sanguis Hirci diſſolvit adamantem & calculum veſicæ. Troglotydes paſſerculus etiam concretum calculum expellit. Item ♃ lepuſculum, menſe Martio natum, & immerge ipſum in bonum vinum Rhenanum, ut ſuffocatus moriatur, deinde cum tota ſubſtantia combure in olla, hujus pulveris ʒj. cum modico Theriacæ adminiſtra ægro, antequam ingrediatur balneum, poſt balneum emittet urinam antequam comedat aut bibat, tum miro modo lapidem reſolutum inveniet. Poteſt etiam hunc Pulverem aſſumere cum aqua Petroſeleni. Cancri fluviatiles arenam, calculum veſicæ & renum potenter expellunt per urinam. Qui ſæpius illis utitur, non habet quod timeat à calculo. Theophr. lib. de vermibus cap. 15. Combure ſanguinem leporis & pellem ejus in olla incocta, ut omnia redigantur in cineres, propina ægro cochlear unum in aqua calida, mane jejuno ſtomacho, ſtatim lapis liquefactus cum urina exibit. Hoc nos vidimus, propterea de eo non dubitandum. Parum credens poteſt experimentum facere, & lapidem etiam duriſſimum

mum in aquam calidam imponere, hujus pulveris quoque cochlear unum, & confestim lapis liquescet, magna cum admiratione virtutis, quæ in pulvere conspicitur. Item. ℞ Calculum ex vesica hominis excisum, contunde in mortario, extrahe per alembicum oleum Philosophorum, de quo oleo ægro xiv. diebus singulo mane & vesperi administra ℈j. in vino generoso. Hoc potenter resolvit & expellit calculum. Aliud. ℞ Saxifragæ, fœniculi, petronellæ, piperis, apii, milii Solis, asparagi ana, tere omnia & cribra, misce cum melle, da bibere cochleare cum aqua calida, comminuit lapidem intra duos dies. In officinis habent Electuarium seu confectionem, quam vocant Lithontribon, hæc confringit & expellit calculum, & est similis theriacæ formâ & usu. Dosis ejus est ʒij. Tabernæmontanus libro suo Medico parte 3. cap. 17. Quidam sumunt hederam terrestrem, & miscent cum Aqua Petroselini, exhibentes hanc mixturam manè & vesperi. Contra calculum probatissimum, ut & omnes urinæ affectus, dysuriam, stranguriam, ischuriam: ℞ Lib j. salis nitri.
Experimentum. recentem ollam seu testam, quam crucibulum chymici vocant, & fac ut fortiter candescat, alias optima materia exilit. In hanc candentem testam injice particulas salis nitri pedetentim, ita igneitas salis nitri non aufugit, sed remanet, quod alias in communibus præparationibus fieri solet: in testa candente sal nitri convertitur in salem, cujus dosis est à ℈j. ad ʒij. solvatur in spiritu vini, & administretur in bal-
Cura ulcerum. neo. Ita Sal nitri, Sal tartari, resolvit, & per vinum expellit. Mercurio dulci diaphoretico curantur omnes ulcerationes interiores, ureterum, vesicæ, penis. Item Balsamo tartari dulci. Gonorrhœa
Gonorrhœa. curatur Oleo margaritarum, item, Impotentia Venerea, quatenus ex solutione virium, seu obstructione viscerum provenit. Idem præstat solutio, es-
Impotentia. sentis tinctura seu extractum coralliorum. Inflam-
Inflammationes. matio vesicæ alexipharmacis diaphoreticis extinguitur per ablationem veneni. Theophr. in libro paragr.
Stranguria & dysuria. dicit: Stranguria & Dysuria curantur in stomacho. Ratio hæc est, quia radix stranguriæ & dysuriæ, seu minera & fomes horum morborum delitescit in verticulo. Sublata radice tollitur flos seu fructus, quem in stomacho produxit, & ad vesicam transmisit. Sal Antimonii est arcanum in dysuria & stranguris. Urina Lyncis gignit concreta Lyncurium, qui stillicidia urinæ sanat, & calculos vesicæ haustus elidit. Aqua juniperi medetur stranguriæ. Potus contra stranguriam, ℞ Benedictæ laxativæ ℥iiij. aquarum fœniculi & petroselini ana ℥j. commiscendo fiat haustus manè in aurora jejuno stomacho assumtus, tollit stranguriam. Plura vide apud Alex. Benedict. lib. 23. cap. 26. usque ad 30. & pag. 542. titulo ad urinæ stillicidia. Phrisium in speculo parte 4. lib. 2. tract. 7. c. 5. Theophrast. lib. 1. paragr, titulo De morbo dissoluto. Cardanus l. 1. c. 1. de rebus mirabilius ait. Hippocratem in luxuria
Obstructiones. Cantharides ægro exhibuisse. Urinæ meatus obstructione liberat Cerevisia helenio condita. Urinam promovet Fœniculum, rhaponticæ, mercurialis. Ad urinam morantem evocandam vide Alex. Benedict. fol. 541. Spiritus Vitrioli & omnia ferè salia sunt diuretica, sic & sal nitri. Incontinentiam urinæ sanat aqua Saturni. Turnheus. in Pison. lib. 4. cap. 7. Item, bibatur saxifraga in vino cocta. Consule Phrisium in speculo parte 4. lib. 2. tract. 6. cap. 7. Alex. Bened. lib. 23. c. 15. 16. 17. & c. 20. & pag. 542. tit. Ad urinæ incontinentiam. Affectus vesicæ tolluntur subtilitatibus salis communis, maris & gemmæ. Turnheus. in Pis. lib. 4. cap. 7. fol. 119.

CAPUT XXIX.

De morbis Scroti, causis, signis.

SCROTUM, & qui in eo sunt testes, dum inflammatione labefactantur, etiam Tumore duro quandoque atque scirrhoso laborant, ut & omnibus Herniæ generibus. Spiritus inflammatorii sulphurei, arsenicales in scroto & testibus ad germinationem pervenientes, flores emittunt radiei consentaneos, tum scrotum in tumorem distenditur, durities inest, rubor atque calor, dolor lancinans, qui levi contactu exacuitur, febris plerumque comes. Malè curata inflammatio illic sæpe prædurum tumorem, calore præproperè extincto relinquit, tum rubor, calor & dolor absunt, durities una persistit, cujus nonnihil quandoque immedicabile permanet.

Hernia seu Ramex alias in inguine prominet. *Hernia.*

Bubonocœle appellatur, mulieribus & viris communia, alias in scroto, quod virorum tantum est. Fiunt autem cùm quippiam in alterutram sedem illapsum, tumorem parit. Illapsus causa est peritonæi, quod omnia sub abdomine coërcere solet, ruptio aut dilatatio. Cum sola est ruptio interioris membranæ. (duplex quippe est peritonæum) tumor in inguine solo existit: Cum vero huic etiam dilatatio accedit, ejus membranæ quæ in scrotum devolvitur, hoc pariter distenditur. Illabuntur autem varia, ex quibus ramicum differentia statui solet. Ab intestino, Enterocœle est. Ab omento, Epiplocœle: Ab aqua Hydrocœle: ab adnata carne Sarcocœle. In Enterocœle & Epiplocœle permanens tumor non est. Intestina enim & omentum vel sponte vel blando digitorum impulsu remeant: illa quidem rugitu & flatulento murmure: hoc verò ægrius, nulloque rugitu. Hydrocœles atque Sarcocœles tumor perpetuus est, nec impulsus in abdominis capacitatem cedit. Hoc autem discriminis intervenit, quod hydrocœles tumor mollior est, pulsatus resonat, pondere levis, & opposito lumine perspicuus.

Sarcocœles tumor durus, gravis & obscurus, qui longiori tempore paulatim increvit. Ut autem viris in scrotum, ita & interdum mulieribus tum intestinorum, tum omenti aut aquarum prolapsus fit in pudenda, è quibus illa videntur tanquam è sacculo propendere. Sed & Umbilici regio ramicis genus censeri potest, quo sæpe videtur is mirum in modum prominere, intestinis sub cutem prorumpentibus.

CURATIO. Inflammatio scroti & testiculorum est venenata, auferatur igitur venenum alexipharmacis, & diaphoreticis, & tolluntur symptomata comitantia. *Cura inflammationis, Herniæ.* Herniaria nobilis herba, cujus succo expresso affuso vino descensus intestini scribitur spatio novem dierum ita curari, ut malum non redeat. Succus Enulæ Campanæ cum succo Rutæ plurimum confert herniosis seu ruptis, maximè si hernia fuerit ex ventositate. Item subtilitates salis communis, maris & gemmæ. Consolida regalis in vino cocta addito gummi in forma emplastri applicata optimè curat. Sophia in ruptura summum arcanum est intrinsecus. *Ad ruptionem umbilici.* In ruptione umbilici ℞ Opopanacum, applica illud pelliculæ caninæ, impone in umbilicum, hoc prohibet exitum intestinorum. Vide Rulandum de thermis pag. 161. In tumore unius testiculi & dolore venarum circa inguina administra spiritus Vitrioli guttas ij vel iij. in spiritu vini, alterο die spiritum Therebinth. eodem modo.

CAPUT

CAPUT XXX.

De uteri affectibus, causis atque signis.

Affectus uterini varii.

VTERUM morbi varii obsident, Phlegmone, Abscessus, Ulcus, Cancer, Scirrhus, Mola, Inflatio, Hydrops, Calculus. Et in cervice Rhagades, Condylomata, Hæmorrhoides. *Inflammatio.* PHLEGMONE, ut aliarum partium ita & uteri procedit ex ente veneni, cujus generatio ex superioribus petenda. *Ejus signa.* In inflammatione uteri, pubis, imi ventris lumborumque atque, tumor, distensio atque gravitas inest. Febrisque comes assidus cum symptomatum comitatu. *Abscessus & Ulcus.* Rupto expurgatoque Abscessu Ulcus manet, idque sordidum. Pus autem ex uteri corpore vel in illius capacitatem incidit, unde sincerum profluere deprehenditur. *Ejus causa externa.* Levior interdum exulceratio utero ejusve cervici inuritur, quæ interiorem pelliculam corrodit, aut excavat modicè. Fit autem à partu difficili, quo aut grandior fœtus editur, vel adversus aut corruptus vi miserè extrahitur. Fit & à violento effrenique concubitu, itemque à diuturno acri & erodente fluore. Ab omni exulceratione dolor adest acris & pungens exedensque, sanies & colluvies emanat, eaque copia, substantia, colore varia, nonnunquam fœtida, interdum odoris expers. *Noma species teterrima ulceris uterini.* Uteri maligna ulcera sæpe vel in Nomas, idest, depascentia efferataque ulcera vel carcinomata degenerant. Nomæ inæquales conspiciuntur, exedentes, indiesque magis ac magis depascentes, cæteris ulceribus fœtidiores, sordidiores, acerbiores. Carcinoma si nondum exulceratum est, moles gravis pondere percipitur, tumorque durus, colore sublivido. Exulceratum verò Carcinoma, ut Noma malignius est, ita præter cæteras notas labra habet prætumida ac dura, atque ex concreta illuvie sordida ac livida: sanie quoque manat graveolente, tenui & nigra, vel etiam fulva. Paracelsus in Chirurgia tract. 4. lib. 3. *Cancer.* vocat Cancrum, qui non solum in pectore vel in mammis mulierum, humeris virorum: sed etiam in costis, ventriculo, brachiis, pedibus, matrice seu in *Ejus causa* collo vulvæ exoritur. Generatur autem tam viris quam mulieribus ex Realgare sanguinis, & est Sal mercuriale transplantatum. *Scirrhus uteri.* SCIRRHO interdum totus uterus, interdum pars quædam obdurescit, tum durus ipse tumor tractu renititur, nullus aut obscurus dolor adest, stantibus grave pondus quasi prolapsurum incumbit in pudenda: incessus difficilis: crurum totiusque corporis segnities. Fit autem ex tartaro per substantiam uteri effuso, illicque concrescente.

Mola. MOLA tumor est carnosus, non in substantia sed in uteri capacitate genitus. Rudimentum interdum cujusdam formæ obtinet: sæpe moles est informis, cute vel membrana obducta, intus caro mollis & confusa, venis conspersa pluribus, sine ossibus, sine intestinis, sine visceribus. Alimentum ea per venas prolicit, nutriturque plantarum more, & incrementum sumit, ut interdum ventrem quasi octimestris fœtus distendat. Hæret nonnunquam acetabulis firmissimè, ut hanc aliquæ, quatuor vel quinque annos, interdum etiam per totam vitam utero gestarint. Plerunque tamen levius adhærescens tertio quartove mense excidit, nondum ad justam magnitudinem producta. Quidam Galenici dicunt, molam generari ex menstruo vel muliebri sanguine, quidam verò ex virili semine: idque aut corrupto, aut quovis modo invalido, quod alimentum quidem trahere, nihil vero conformare potest. Paracelsus ait, molam generari ex imaginatione concubitus esseque monstrum imaginarium. *De origine morborum invisibilium.* In mola, quemadmodum in conceptu menses sistuntur, mammæ turgescunt, cibi fastidium adest, venter sensim attollitur, ut concepti fœtus magna sit suspicio. *Differentia molæ à fœtu.* Atque his signis distat à scirrho. A fœtu autem vero ac legitimo, quod hic blandè & leniter moveatur: Mola autem, vel gravitate fertur, aut impetu quodam provolvitur, in quodcunque latus mulier decumbat. In mola ad incessum mulier gravior evadit, eique quasi pondus propendet ex utero, artus gracilescunt, dolor ventrem sæpe compungit: quorum nihil adest in vero atque legitimo fœtu, præsertim si valetudine integra est mulier: Uterus præterea nonnunquam tumet ac distenditur flatuum copia, qui aut edito partu in vacuam capacitatem irrepserunt, aut alia ex causa illic geniti coarctantur. Pectus imusque venter inflatur se dolore concutitur, qui & plerumque ad septum transversum & inguina excurrit: agitato corpore interdum sonitus obauditur, ventreque digitis impulso, tympani sonus editur ac flatus è cervice uteri manifestè prorumpit. *Hydrops uterinus.* Tumet & nonnunquam uterus aquarum copia, quod certè hydrops est uterinus: inflationis signa adsunt, sed gravitas major, & sonus quasi fluctuantis aquæ. Hujus ut & Ascitis causa efficiens est jecoris aut lienis mala affectio ex tartaro. Aqua tum ex abdominis capacitate cœcam & inusitatam sibi viam parat in uterum. Rhagades, condylomata, hæmorrhoides in uteri cervice, in ejusque pudendo perinde atque in ano provenient, percipiuntur cum dolore aut cruoris perfusione maximè in coitus attritu.

Cura inflammationis. CURATIO Radix, fomes, minera Inflammationis in omnibus partibus eadem est, quamvis vehementia symptomatum differat: eadem quoque curatio. *Ulceris &* Ulcus ex abscessu internis & specificis medicamentis potius curatur quàm externis, idque Mercurio dulci, diaphoretico, essentiâ mumiæ & quibusdam specificis, ut hirundinaria, centaurea, ptarmica silvatica, hippoglossa. *Cancri.* Cancer in utero mulie bri seu collo vulvæ ortum trahit ex veneno menstruali, cum videlicet menstruum supprimitur. Quamobrem juxta Paracelsi doctrinam ea removenda sunt in curatione Cancri, quæ mensium purgationem impediunt, ut ex naturæ præscripto menstrua fluant, quæ Essentia Solaris, seu ut ipse loquitur, Resina Solis præstat, & perfectè tam in viris quam fœminis cancrum in omnibus partibus curat. Idem præstat Essentia Mercurialis, coralliorum arcanum Antimonii, Mumia, Sal Philosophorum. *Cura Scyrrhi in utero Et Molæ.* Scirrhus tollitur per resolutionem, expulsionem & consumptionem tartari, idque ex anatomia & arte signata essentia Vitrioli, Veneris. Molam natura ipsa expellit. Inflammationem ut & hydropem optime sanat Essentia Vitrioli Veneri, item essentia Salis communis, maris & gemmæ. Item essentia Mercurii. Rhagades, condylomata, hæmorrhoides curantur ut in ano, essentia sulphuris, oleo chamomillæ, oleo ovorum.

CAPUT XXXI.

De uteri symptomatibus, eorumque causis.

Symptomata in utero varia.

VTERI propria symptomata sunt, Mensium suppressio, Mensium profluvium, Albus fluor uterinus, Gonorrhœa duplex, Uteri strangulatus,

Ascen-

Fluxus mensium. Ascensus, Descensus, Prolapsio & Convulsio. MENSTRUA PURGATIO ex naturæ præscripto primùm erumpit ætatis anno decimo quarto, desinit quinquagesimo, quibusdam tamen à duodecimo in sexagesimum perlistit. Aptus & conveniens purgationis modus hoc uno signo dignoscendus, quod ubi desiit, neque vires gravatas, neque imbecillas relinquit. *Eorundem suppressio.* MENSIUM SUPPRESSIO in ætate matura citra prægnationem omnino præter naturam censetur: quemadmodum & eorum purgatio rarior, quàm menstrua, & parcior quàm naturæ & victus conditio poscit. *Symptomata suppressionis mensium.* Hinc symptomata succedunt: nausea, cibi fastidium, lumborum, scapularum, capitis totiusque corporis gravitas & dolor quasi lassitudinis. Urinæ crassæ, turbidæ, rubicundæ, & plerumque nigricantes, ex quibus tandem graves & diuturnos morbos fieri commemorat Hippocrates. *Causæ ibidem.* CAUSÆ Suppressionis mensium aliæ quidem in principibus partibus, vel in toto sunt corpore, aliæ in utero solo. IN principibus partibus: ut in jecore, liene, pulmonibus, ventriculo vehemens obstructio, aut scirrhosa durities, veluti in Ictero, Cachexia, Hydrope, Asthmate, in aliisque affectibus. Fieri certè nequit, ut menses rectè atque ordine ex naturæ præscriptu fluant. In Utero autem mensium purgationem impediunt, Obstructio, uteri perversio, & quicquid interius os ejus obturat: ut concretus sanguis, caro excrescens, adipis copia, & adnata pellicula, aut conformationis naturale vitium. *Nimia mensium purgatio.* Immoderata autem mensium purgatio ultra naturæ vitæque modum est: qua aut copiosior sanguis quàm pro multitudine, aut diurius profluit, aut crebrior, aut non stato circuitu redit: *Signa ejus.* Omnia nimiæ & exoperantis vacuationis signum est virium imbecillitas, & eorum symptomatum invasio, quæ immodica sanguinis effusionem sequuntur, sicut nausea, cruditas, fœdus faciei color, pedum, & reliqui dein corporis tumor œdematosus. *Causa.* Fit autem vacuationis exuperantia à veneno Martiali, quod omnium fluxionum fons & origo. *Fluor muliebris, sive uterinus vel albus.* Fluor, quem muliebrem aut uterinum appellant, a mensium profluvio distat, quod non sincerus sanguis, sed corruptum quiddam prodeat, idque continenter, aut nullo ordine, nulloque circuitu. Est autem id modò liquidum & albicans, lactis sero aut Prisanæ cremori persimile, modò citrinum aut pallidum, modò subviride, adeò acre ferè & adurens, ut quascunque partes attigerit, erodat aut leviter exulceret: atque id rursum modò tetrum est & graveolens, modò odore nullo molestum. *Causa illius.* Causa efficiens in principibus partibus consistit. Quibus enim viscera vel obstructa vel scirrho dura, cruditates, malum habitum, leucophlegmatiam invexerunt, corruptus humor in varias partes effusus, sæpe in uterum procumbit, & illac decurrens corpus expurgat, quod aliis quibusdam per renes aut per alvum ferri contingit. Neque enim hic affectus ætate maturas tantùm, verùm etiam virgines, quas pallor decolorat, invadit. Atque hæc fluoris uterini causa admodum frequens observatur. *Gonorrhœa.* Muliebri fluori adfinis est Gonorrhœa, quæ mulieres perinde ac viros, imò & frequentius exercet. Profluit autem citra ullam Veneris titillationem, nec assiduò, ut in uterino fluore, sed quibusdam intervallis, non ab uteri capacitate, sed à vasis spermaticis in uteri cervicem, estque id album, serosum, omnis expers graveolentiæ & acrimoniæ, ac omnino paucum. *Causa Gonorrhœæ muliebris.* Hujus eadem causa, ut virilis Gonorrhœæ. *Gonorrhœa virulenta.* Hac autem multò crebrior est virulenta Gonorrhœa, quam impura Venus infligit, eo modo, quo ante in viris est comprehensum. Quod per hanc excidit, continenter assiduoque fertur, ut in uterino fluore. Est tamen crassius multò & modò album, modò flavum aut virescens, odore gravi, molestum, acre, & exedens: ac proinde rarò deprehenditur citra pudendi ulcus. In hac Gonorrhœa virulenta Venereæ luis signa sese produnt.

Suffocatio matricis. Strangulatus uteri Suffocatio Matricis dicitur, quod spiritus membrorum veneno in matrice, tanquam in centro delitescente, & foras prorumpente strangulet. Primum quidem, cùm levis & exigua est mali causa, ex utero sublatus vapor, viscera ventriculumque feriens, nauseam quandam movet, cui tamen rarò succedit, vomitio, sæpe tædium quoddam *Indicia & signa.* & cibi fastidium, idque interdum cum murmure, ventrisque rugito, interdum citra hæc, cum venenum spiritu in diaphragma thoracisque partes effertur, respirationem brevem crebramque, tanquam compresso pectore facit: simul & cor obsidens, levem interdum animi defectionem inducit, qua tamen vix pulsus immutatur. Metus hinc atque desperatio ægram concutit, ac plerunque tanta, ut se jam interituram putet, nullaque ratione in spem erigi possit. Spiritus veneni fauces invadens, eas quasi vinculo constringit, aut manu præcludere videtur, prorsusque spiritum intercipere, magno suffocationis metu. Ubi enim cerebri arcem conscenderit, alias quidem furorem uterinum appellatum cum garrulitate, iracundia & inquietudine movet, aut alia delipientiæ genera, metus horrorisque plena. Alias quasi soporem quendam ac veternum inducit, quo mulier corruens velut attonita jacet sine motu, sine sensu ullo, respiratione adeò parva & rara, ut interdum nulla esse credatur, tanquam ipsa jam mortua extinctaque sit. Paracelsus Caducum Matricis appellat. *Causa caduci matricis.* Plura lege apud eundem libro de amentibus, titulo de suffocatione intellectus. Ita variæ sunt affectionum hystericarum formæ pro qualitate veneni, quæ circuitu, ut Epilepsia repetunt, aliis quidem crebrius, aliis rarius, dum discussa sit earum causa. Fernelius scribit causam accessionis hystericæ esse vaporem ex utero, non solum per venas & arterias, sed & per spiracula cœca & latentia sublatum, qui venenatus adeoque malignus & perniciosus, ut partium quas attigerit facultates offendat, earumque functiones intercipiat. *Ascensus uteri.* Adscensus uteri est, cùm in regionem ventriculi effertur, eumque graviter opprimit. Adscensu non quæ strangulatu symptomata fiunt, sed duntaxat premitur mulier quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate aut animi defectione, at sine metu, sine delirio, aut alio symptomate graviore. *Descensus uteri.* Descensus uteri appellatur, cùm in infimas partes is provolvitur. *Prolapsus ejusdem.* Prolapsus descensu gravior est, quod eversus uterus foras procidat, ejusque fundus promineat. Fit autem ex vehementiori pariendi conatu, quo uterus fœtum secundamve excludens, cum impetu sequitur, seque invertens præcipitat.

Cura. CURATIO. Paracelsus in Archidoxia sub specifico Matricis ad menstrua provocanda in suppressionibus ponit Magisterium ex splene bovis castrati, quod præstantissimum est in omni ætate. *Nota.* In restrictione primas tenet quinta essentia coraliorum: oleum ferri, vel ferrum potabile. Paracels. in curatione scribit: Mulier quædam menstruali profluvio diu laborabat, adeo abundanter, ut sæpe in animi deliquium incideret: Illam Oleo Vitrioli in aqua plantaginis & ℥j. Carniolæ curavi: *Indicatio morborum Martialium.* Ex anatomia & arte signata idem præstat magisterium magnetis in mensium profluvio, stillicidio, albo flore uterino. Morbi enim Martiales sunt, qui spiritu Martis in magnete existente perfectè curantur. Specificum quoque est Persicaria, Bursa pastoris calcea imposita. Item,

Laudanum perlatum sine moscho. Amaranthus potus in vino albo mensium abundantiam cohibet. Matthiolus in Dioscoridem, praeparationem corralliorum, ad restringendum menstruum profluvium laudat. Vide apud Theophrast. tract. 3. praeparationum lib. 1. Turnheuf. in Pis. lib. 4. cap. 7. fol. 103.104.105. Trochisci de Terra sigillata sistunt omne fluxus sanguinis. Item haematites, Barth. Anglicus lib. 16. cap. 40.

Galeni remedia sistentia menses.

Galenici in sistendis mensibus, praescribunt haec vegetabilia: Limonium, pirola sylvatica, solanum, symphyton, semper vivum, bursa pastoris, myrtus, nymphaea, plantago, fragaria, hyoscyamus, lysimachia, hyoscyami & nymphaeae flores, fructus berberis, uva passa cum nucleis, semen amonii, asparagi, anisi, apii, dauci, foeniculi, petroselini, seselios, ciceris, ligustici, diaolibanum, jaspis lapis. Barth. Anglus lib. 16. cap. 53.

Provocantia.

Ad Menses provocandos, hypericon, alisma, flores betonicae, item centaurii, chamomillae, junci odorati, leucoii, melissae, poeoniae, viticis, salviae, rorismarini, nuclei persicorum, baccae hederae, cappares, piper, semen poeoniae, antheracumioum, radia Valerianae, asari, acori, aristolochiae longae. Menstrua movet & provocat Gagates lapis, cum ex eo fit suffitus.

Gonorrhaea utriusque cura.

Gonorrhaea vera in mulieribus curatur ut in viris magisterio perlarum ex arte signata. Venenata verò quae comitatur luem Veneream, pertinet ad morbi Venerei curationem. Strangulatui matricis utilis est Bryoniae radia, quae in vino efferbuit, ait Matthiolus. Novi mulierem quotidie fere per annos multos vulvae strangulationi obnoxiam, quae ab illo morbo optimè convaluit hauriendo semel per hebdomadam sub lecti ingressum vinum album, in quo radices Bryoniae effervuissent, & hoc medicamento per annum integrum usa, deinde nihil amplius incommodi sensit. Spiritus Vitrioli Veneris est praesentissima medicina contra omnes affectus matricis, tres guttae in liquore assumtae. Item: ℞ Salis ammonisci, & paulò plus Croci Orientalis, pulveris a, hujus pulveris exhibe ℈j. in vino.

Colica matricis.

Certum & probatum est in Colica matricis, Cornu cervi pulverisatum, in vino calido exhibitum. Item Terra sigillata, cum vino calido. Specificum suffocationis matricis seu uteri strangulatus, item ascensus est ficus cutis, id est, verruca adnascens ad crura equorum. Processus talis est: ℞ ficum cutis, impone carbonibus, & fac ut fumus adscendat per vulvam ad matricem.

Procidentia.

Ad procidentiam matricis, ℞ Pilam quâ colludere solent pueri in recente cera liquefacta volutatam, & totam cera obductam, quae habeat affixum aut coadunatum sibi filum robustius, illa incerata pila obturbsis post infertam matricem claustra pudendorum, ne matrix iterum procidat aut prolabatur, deinde ℞ Melissam, cuminum, mentham crispam, artemisiam rubeam, absinthium, rosas rubeas, excipiantur sacculo, coquantur in aceto vini & calidè imponantur locis muliebribus. Interius administra Oleum Mirrhae, Spiritum Therebinthi ana guttas iiij. in aqua Nicotianae vel Tabaci.

CAPUT XXXII.

De arthritide, chiragra, genagra & podagra.

Diversa verbi Podagra significatio.

PARACELSUS podagram generaliter accipit, pro quovis dolore in compagibus ossium & articulorum existente in synovia. Est autem podagra Morbus tartareus seu Morbus salia mineralis seu liquoris acetosi. Sub tartaro seu salo omnes species salium comprehenduntur, aluminis, vitrioli, salis petrae, communis, gemmae, maris, alcali, secii, berberis, acaciae, prout natura fuerit horum salium, sic quoque dolores podagrici & signa variabunt.

Causa diversitatum in podagricis affectibus.

Tincturae salium sunt acerbae, amarae, salsae, acres, vel acetosae, aronicae, tartareae, vitriolatae, nitrosae, aluminosae, urticosae, sed ex his nitrosa & salis communis acerbissimos & gravissimos producit dolores. Vehementiores dolores sunt vitriolatorum, tartareorum, quam aluminosorum & salgemmeorum spirituum. Acetosae, aluminosae, stipticae tincturae frigiditatis authores sunt. Tartareae, aeruginosae, calidas inflationes & pulsationes adducunt. Hoc est quod dicit Paracelsus, Podagram esse sulphur accensum in glutine: Item, accensam frigiditatem in synovia. Nam digestione continuaque circulatione narcoticae & frigidae tincturae accensae caliditatis adulterinam imaginem saepe repraesentant.

Unde semina affectionum podagricorum in corpore humano.

Sed quomodo hae tincturae salium perveniunt in anatomiam corporis? Duplici modo, vel haereditario jure: vel ex cibo & potu. Cum in parentibus prima materia Tartari continetur, quae nondum coagulata est, sed spiritualis, astralis adhuc existit, valida vitalique impressione balsamum & radicem humanae naturae afficit, & transplantatione haereditaria evadit. Quando à principio in synovia prima radicem rudimenta implantantur, non aliter ac in sanguine, fiunt tales podagrae vehementissimae, quia in elemento vehementissimo & potentissimo foventur. E cibo & potu podagra generatur. Spiritus enim mechanici ventriculi omnia morborum semina ab alimentis separare non possunt, relinquuntur igitur impuritatea, quae spirituali & vaporosa specie una cum alimentis ad synoviae officinam deferuntur: nec solum impuritates ad resolutionem tendentes, sed etiam tartareae mucilaginea coagulationi destinatae morbos in synovia frustrata separatione & expulsione proferunt planè corporeos, lapillosos, bolares, tophaceos, bituminosos. Neque difficile est horum morborum semina, cum resoluta sint, vaporosa, spiritualia, alimentorum vaporibus permixta, undique penetrare. Cum vero ejusmodi semina in anatomia sanguinis continentur resoluta, confluentiam cum seminibus manuum pedumque in synovia stabulantibus nacta, antequam ad ipsas matrices pervenerint, obscura vel manifesta de se documenta dabunt, secundum analogiam proprietatis spirituum, & synoviae puritatem in membris, per quae transeunt. Si enim magna fuerit vehementia spirituum, & tinctura acutissimae in mucilaginosam coagulationem terminantes, si synovia crurum brachiorum (quae ossium membranis undique agglutinantur) impuritatibus ejusdem generis vel consentientis, inquinata fit, dolorificae fluxiones in iis locis fientur, calamitatem suspectis partibus mox imminentem nuntiantes. Talis fere generatio contracturae, quod in podagricis apparet.

Modus & generatio contracturae.

CURA. In curatione Podagrae, resolutio, consumtio, destructio, ablatio materiae tartareae cito confestim instituenda est, idque medicamentis resolventibus, mitigantibus & corroborantibus. Tria vero illa resolventia, mitigantia & corroborantia miationem admittunt, & uno eodemque medicamento absolvi possunt. Paracelsus lib. 2. de vita longa cap. 2. ait: Principio purgetur omnis podagricus, plena & perfecta purgatione, & hoc fiat Arcano corallino, quo interveniente eliciuntur fluxu podagra, adeo, ut ne locus amplius relinquatur huic tyrannidi. In hoc Corallino, vel quod ex essentia auri est, tota vis ac virtus inest, ut eam nisi hac purgatione à Medico deprehendi impossibile fit. Fiat ista purgandi

De Cura Arthritidis consule Paracelsum tract. 2. de morbis ex tartaro.

gandi ratio sexies vel septies, pro vetustate sive duritie sive natura podagræ. Hoc Arcanum corallinum, nil aliud est, nisi Mercurius fixus diaphoreticus, qui vires auri æmulatur. Contra podagram in principio morbi utere spiritu Vitrioli. Vidi enim *Arcanum corallinum* laborantem tres integros annos beneficio bujus medicamenti liberatum. Erat autem talis podagra, quæ *Remedia Galenistarum in Podagra.* maximè constabat ex Sale, Vitriolo, & non ex omnibus speciebus Tartari. Inter medicamenta Galenicorum omnia optimum adversus podagram est Electuarium Cariojustini. Item Radix China. Diaphoreticum Tartari multum præstat in podagra, dosis ejus ℈ j. in liquore convenienti. Podagra curatur per Mumiam, Theophrast. in libro de Tempore, tract. 3. Item per Lapidem Philosophorum, de tinctura Physicorum cap. 6. Præstantissimum remedium contra hunc affectum est Sal armoniacum septies sublimatum, & spirituale factum solvatur in vino, intingatur linteum, intinctum imponatur super locum affectum. Intra quoque exhibetur cum vino vel cerevisia, ita ut sudet podagricus. Antimonium in curatione podagræ, epilepsiæ, apoplexiæ, caduci, febrium, hydropis primas tenet. Antimonium seu unicornu minerale solidæ substantiæ, nostræ confectionis, multum lenit & mitigat dolores podagricos, materiam peccantem reducendo, consumendo, quod in iis vidimus, quibus manus officium denegabant, assumptâ hâc medicinâ manibus libere utebantur ad officia peragenda. In doloribus arthritidis inunge locum affectum Oleo Juniperi, & liberabitur æger.

CAPUT XXXIII.

De Peste, & ejus causis.

PESTIS est singulare flagellum, pressura & contagio propter peccata hominum, essentiæ invisibilis, spiritualis, astralis, ex nullo interno humore aut liquore, proveniens, sed immediatè à DEO procedens irato, aut ex impressione astrali. Pestis aut est supernaturalis, & immediatè à DEO ad homines provenit: aut naturalis, ut quando DEUS puniens homines, agit per causas secundas, illisque tanquam instrumento & virga utitur. Nam DEUS, quando homines punit, exercet opus alienum. Pestis supernaturalis est à DEO, vel permissivè à Sathana. Pestis supernaturalis à DEO est flagellum & pœna divina, Exod. 9. Levit. 26. Deuteron. 28. 1. Chron. 22. Pestis supernaturalis à Sathana permissiva est, quando DEUS Sathanæ permittit hominis puniendi ergo propter peccata. Ipse verò hostis atrocissimus DEI & hominum dolet, quod non totum genus humanum delere, & funditus extirpare possit, sicut Hiobi historia testatur. Deinde etiam pestis oritur à magis exorcistis, Exod. 7. & 8. de quibus Christus loquitur Act. 8. Matth. 7. Pestis naturalis est duplex: Una generatur impressione astrali, altera ex imaginatione Microcosmi. Pestis impressionis procedit ex firmamento cœli. DEUS puniens homines per causas secundas utitur conjunctione Martis, Saturni, malevolarum stellarum, eclipsium, ceu pater puniens filium utitur virga. Radii horum astrorum arsenicales, sulphurei, antimoniales, mapellosi, cicutosi inficiunt nutrimentum spirituale & corporale. Hæc est generatio pestis ex influentia astrali. Cæterum viri laborantes hæmorrhoidibus & peste sanos solo intuitu inficiunt. Inficiuntur verò multò plures à mulierum intuitu, quæ simul menstruo & peste laborant. Deinde etiam per spiritum, calorem, sudorem, odorem, habitationem, vestes ægrotorum propagatur, & vicino à limine serpit. Ex imaginatione quoque oritur pestis, Paracelsus de occulta Philosophia.

PRÆSERVATIVA.

Tempore pestis præservativum non inconveniens est Aeris mutatio. Hæc autem mutatio instituatur oportet juxta scientiam astronomicam, alias frustra quis fugam molitur. Ad præservationem Potus pestilentialis veri Paracelsi spagyricè præparati ℥ j. assumatur mane in lecto & sudetur. Hæc medicina sex dies præservat. *Præservatium Pestis.*

Secundum præservativum est Sulphur sublimatum cum Myrrha & Aloë patico, mane ʒß. cum saccharo assumpta, ob omni impressione astrali illo die præservat.

Tertium Zenechthon Paracelsi, de collo suspensum impedit attractivam Microcosmi.

Quartum præservativum contra venenatum intuitum mulierum & virorum est Chelidonia plenilunio collecta, & secum gestata.

Quintum, qui circa ægros versantur, in ore contineant Thus, ægri vero Imperatoriæ radices.

Sextum, Essentia sanguinis cervi & ciconiæ sunt excellentissima præservativa.

Septimò, Præservativum omnium præstantissimum est Alexipharmacum spagyticum manè assumptum magnitudine fabæ minoris cum saccharo vel aliquo conveniente liquore.

SUFFITUS AD CORRIGENDUM AEREM.

℞ Sulphuris lib. ß. Thuris ℥ ij. Myrrhæ ℥ j ß. Asæfœtidæ ʒß. Contundantur & misceantur. Ad hunc pulverem adde duplum de corticibus Baccarum Lauri, partem dimidiam Succini. De hoc pulvere quotidie bis vel ter singulis vicibus ʒij. impone carbonibus. Hæc est optima correctio aëris. Idem prope præstant lignum & baccæ juniperi.

CURA UNIVERSALIS PESTIS.

Universalis cura fit spiritu auri, auro vitæ diaphoretico, quinta essentia gemmarum, hiacinthi, smaragdi, sapphiri, tinctura curaliorum, antimonii, laudano solificato & perlato.

Hæc mysteria, arcana & magnalia naturæ, si certa & conveniente dosi exhibentur, pestem tollunt.

CURA PARTICULARIS.

Quamprimum se quis veneno pestis infectum sentit, Potus pestilentialis Paracelsi, de quo ante assumat, adultior quidem ʒß. vel coehlear unum, junior vero ʒ ij. plus vel minus pro conditione & respectu ægri in lecto 4. vel 5. horas coopertus bene sudet. Hora sexta rursum eandem dosin assumat, ac iterum sudet. Elapsis sex horis denuò assumat dosin tertiam, præsertim si punctiones relictas æger senserit. Cum tertia dosi DEO auxiliante, venenum per sudorem omne expelletur. Tribus sequentibus diebus æger expulso veneno sumat singulo mane dosin unam prædicti potus, quo natura corroboretur & confortetur. Idem præstat Alexipharmacon spagyricum, cujus ʒ j. assumant adultiores, idque ter viginti quatuor horarum spatio, juniores ʒß. Et tribus sequentibus diebus singulo mane dosin unam in

vino, aceto rosato, aut aliis appropriatis aquis. Quando apostemata pestis foras erumpunt, imponatur cataplasma ex ficubus & fructibus Alkekengi ana, contusis, ita statim rumpuntur. Venenum enim venenum attrahit. Cum erumpunt apostemata & venenum ad cor penetrat, cujus signum externum ex linea à centro apostematis ad cor ducta conspicitur, contundantur Uvæ inversæ, si virescentes; exsiccatæ verò macerentur in vino vel aceto, & imponantur, idque bis vel ter repetatur. Hæ enim uvæ extrahunt venenum mulieribus & viris in agone etiam constitutis, & quasi ab inferis illos revocant. Hoc arcanum & specifica virtus hujus simplicis quemlibet in admirationem merito rapiat.

CONTRA SYMPTOMATA PESTIS.

IN constipatione alvi æger utatur Extracto Sennæ vel Rhabarbari, pauperiores bibant de foliis Sennæ. Qui diarrhœam vel dysenteriam conjunctam habent cum peste, manè, meridie, & vesperi assumant ℈ß. Croci Martis, in extracto Acori lutei, usque ad perfectam curationem. Qui ardentissimis caloribus anguntur, in Aqua rosarum, Vitriolo, & succo Semper vivi, intingant lintea & imponant pulsibus, & quam primum exsiccata intingantur rursus. Hoc medicamentum ad extra extinguit vehementes calores.

CAPUT XXXIV.

De Lepra & ejus speciebus.

De Lepra ex Theophrasto.

PARACELSUS lib. 2. Paramiri de origine morb. ex tribus sub. cap. 4. ait: Lepra generatur ex Mercurio exaltato & sublimato vi caloris nativi. Item cap. 5. Morphæa, lepra, & omnes ejus species generantur ex sale, lib. 3. Paramiri de omnibus morbis ex tartaro tract. 5. Lepram habere liquorem tartareum permixtum, unde paroxysmus. De tartaro lib. 2. tract. 4. Lepra non est nisi putrefactio ex spermate scilicet putrefacto, quod non sinunt se laxari. etiam ℥j. ellebori comederent, non laxarentur. Ex hoc potissimum signum lepræ, quod non moveatur laxativis, & cum urina putrefactionem fœtore ostendit, signum lepræ est. Hæc quidem dissentanea videntur, cum vero accuratius & penitius considerantur, nihil omnino dissensionis habent, & ex uno eodemque fonte promanant. Lepra est ex sublimatione Mercurii. Perinde enim ut in sublimatione Mercurii omnes poros & rimulas vitri etiam minutissimas penetrat, & foris conspicitur: ita etiam Mercurius, liquor seu materia lepræ tam inferiores quam superiores corporis partes penetrat, & in cute squamis & fœditate apparet. Ex Sale generatur lepra, videlicet destructo, quod natura foras propellit. Tartareum liquorem permixtum habet. Cutis enim ulceratio in lepra manifesta est. Lepra ex spermate putrefacto est, scilicet balsamo innato destructo, unde sequitur totius corporis corruptio & putrefactio. QUATUOR autem sunt species lepræ: Leonina, Elephantiasis, Alopecia, & Morphæa. Theophrast. lib. 2. de vita longa, sex species lepræ recenset: Leoninam scil. Elephantinam, Alopeciam, Thyram, Morphæam & Undimiam. Lib. 6. paragraph. facit quatuor species lepræ, secundum quatuor Elementa. Item septem lepras septem membrorum principalium. Hæ divisiones & species lepræ, quamvis una ab altera diversum quid habere videatur, tamen in una radice omnes fundantur & conspirant, signis autem variant. Lib. 6. paragraph. de cura lepræ; Lepram dividit in duas species, & ait: Lepram cura sua duos habet species, Rubeam & Albam. Lepra alba sic dicta propter cutem albam Rubea propter rubeam. Lepræ albæ hæc sunt signa: Cutis dolor alienus, halitus cum fœtore, raucedo vocis, excrementorum fœtor respondet spiritui oris. Rubeæ lepræ hæc sunt signa: Cutis ulceratio, serpigo cum pruritu & pustulæ. Lepræ causa, sive albæ sive rubeæ est destructio salis seu balsami in Microcosmo: illa verò destructio procedit ab Ente veneni, ex veneno autem putrefactio, unde omnes species lepræ.

Conciliatio pugnantium in speciem sententiarum Paracelsi de Lepra.

Sei tam, sex, quatuor, duæ species lepræ, quomodo intelligendæ.

CURA.

Veteres dixerunt, lepram esse incurabilem, propterea quia non noverunt tartarum. Paracelsus lib. 3. Paramiri tract. 5. lib. 6. paragraph. dicit: Processus curandi lepram duplex est. 1. de conservatione, intellige à putredine. 2. de cura lepræ. Quæ ad conservationem pertinent, ista sunt: Antimonii Extractiones, Essentia sanguinis de vena cordis: Perlarum & Coraliorum liquor: Specifica de granis Juniperi, de Melissa, Cichorio, Valeriana. Parte quinta fol. 273. Flores Antimonii conservant leprosos à putredine, ℈ß. sumptus semel in septimana. Quæ ad curam pertinent sunt ista. Auri mineralis, mannæ virtutis & tereniabin, Luna cum suis speciebus, lib. 2. de vita longa cap. 3. Omnis curatio lepræ fit per regenerationem, ut metallorum transmutatio. Regeneratio albæ lepræ per lunarem tincturam. Rubeæ verò per solarem, ut Spagyrici loquuntur, fieri debet. Nos nunc asserimus, rubeam lepram à Mercurio Solis, albam à Mercurio Lunæ sanari. Lib. 6. Archidox. Videmus de plumbo & Antimonio, quod ejus mineram vocat, illud lepram curat, morphæam & alopeciam. Item omnes scabies, cicatrices, leoninam, elephantinam, thyriasin. Hoc autem magisterium ex Saturno seu plumbo non præstat. Lib. 2. Archidox. de renovatione. Primum Ens Antimonii eadem præstat in regeneratione & transmutatione corporum imperfectorum, quæ Ens primum auri: Propterea summo studio omnique contentione investigandum. De curatione Phthiseos: Omnes morbi desperati, Chronici, lepra cum speciebus suis tolluntur per transplantationem philosophicam, quæ in Philosophis acquisita dicitur Regeneratio. Hæc in Antimonio quærenda.

CAPUT XXXV.

De Lue Venerea.

LUES Venerea est contagiosus affectus cum ulcere aut immani cruciatu, variis locis emergens, ac sæpe extuberans. Venerea lues contagiosus est morbus, non sponte, intimoque corporis vitio, sed attactu solo contrahendus: quam quis ab ortu accepit, ea olim ex contagione parentum processit. Maxime venereo contrahitur concubitu, à quo & nomen invenit: ejus frequentatione propagata, est in hominum genus, atque ex unius impuritate & inquinamento sensim in universum orbem est disseminata, miserabile scortatorum flagellum. Hauritur interdum lues è scorto, quod nondum inquinatum est, cum quis illi consuescit mox ab alio impuro

scorta-

scortatore. Sæpius ea à partibus obscœnis incipit, licet & interdum ex aliis pullulet locis, quibus labes contagione fuerit aspersa. Efficiens ejus causa est venenata & maligna qualitas ac perniciosa labes, quæ in quacunque parte corporis primùm insederit, eam contaminat, indeque continuatione in omne corpus spargitur, & ex parvo initio & quasi suscitabulo profecta sensim invalescit & propagatur, dum non spiritus modò atque humores, sed & carnem & partes omnes solidas pervagetur. Dicitur autem lues Venerea generata ex leproso, qui in exaltatione Veneris congressus cum meretrice seu scorto, quod tunc bubone laborabat, & tempore congressus mensibus fluere incipiebat, ex quo congressu morbus Gallicus generatus, & totam Europam invasit, & jam viris fœminisque communis ac notissimus. Paracelsus lib. 2. Paramiri de orig. morbor. ex trib. substan. c. 4. Morbus Gallicus generatur ex sublimatione Mercurii, quæ prorsus venenata, quæ vi penetrante & corrosiva exulcerat cutim. Alibi dicit generari ex putrefacto sanguine, & quidem verè. Nam venenum luis Venereæ statim causatur putrefactionem, ex putrefactione Ens veneni corrodens, seu sublimatio Mercurii, seu separatio Salis. Medici vulgares hujus mali causam faciunt, quod humores omnes à sua naturali temperie ad exustionem malignam convertantur.

Causa efficiens luis Venereæ.

Gradus luis Venereæ Medici quatuor constituunt. I. Quâ solùm capitis & barbæ pili citra gliam corporis offensionem defluunt. II. Paulò deterior est, qua cutis universa crebris maculis minimè extuberantibus conspergitur, iisque parvis, lentiginis instar, ac modò rubris, modò flavis, quæ non antè extingui delerive possunt quàm morbi radix sit evulsa. III. Gravior & vera jam lues est. Hac rubræ aut flavæ pustulæ, primùm quidem circa frontem & tempora, poneque aures, deinde in capite, atque toto corpore erumpunt atque extuberant, rotundo schemate, siccæ, sine pure: quæ deinde sicca crusta obducuntur, atque si negligantur, serpunt in ambitum, excavantque cutem, dum ex pustula verum ulcus evadat, quod ferè virulentum est ac sordidum. Partes quæ ad podicem, ad nares & fauces sunt, quia tenellæ, omnium primùm exulcerari solent. IV. Cùm jam invalescens lues solidas partes, ossa, vincula, membranas & nervos adoritur. In his jam vitiatis excrementa multa crassa quidem & glutinosa pro partis conditione, sed tamen maligna congestione cumulantur, quæ nonnunquam in tendines, sæpius inter ossa & periostia confluunt. Hæc cùm vel membranam ab osse divellunt, vel eam malignitatis acrimoniâ feriunt, cruciatus cient implacabiles, qui noctè ferè ingravescunt. Ab his demum coagmentatis præduri tophi cruciatu multo graviore succrescunt. Eadem porrò cùm in osse subsistunt, id amplificant, distendunt, atq; etiam exedunt, ut ejus sæpe deprehensa sit monstrosa figura. Tandem verò corpus vigiliis, diris cruciatibus confectum, & atrophia marcescens vitâ destituitur. Notandum autem, dolores ex lue Venerea non articulos, sed medios artus obsidere, in quibus & plerunque tophi concrescunt, maximè verò in fronte & capite, in medio humeri osse, & in medio cubiti radio, & in parte priore tibiæ, nonnunquam & in aliis ossibus. His ergo signis unaquæque luis species dignosci percipique potest. Plura vide apud Theophrast. in libro de morbo Gallico, Ulricum Huttenum de Guajaci medicina. Julium Palmarium in septem libris de morbis contagios. lib. 1. & 3. de lue Venerea.

Quatuor gradus luis Venereæ.
I.
II.
III.
IV.

CURA: Paracels. lib. 2. de vita longa c. 8. In speciebus morbi Gallici observabis tria: Purgationem, Curam, & Conservationem, de quib. hæc pauca notanda. Purga initio postulosum Ceniotemio, hoc est, Mercurio ad morbum Gallicum præparato, quo pellitur causa morbi una cum tota materia peccante. Observanda autem est dosis & quantitas hujus medicamenti pro respectu & conditione ægri. Præterea si pustulæ adhæserint cuti extrinsecus, aut alioquin dolor juncturarum altius insederit corpori, inunge Oleo, quod est ex realgare seu arsenico fixo, & convalescet ægrotus. De ulceribus, nodis, tuberibus, sive extra corpus sive in corpore quæ inde exoriuntur, juxta præscriptum praxeos, quæ est de ulceribus, agito. Mercurius Solis, est præsentissimum remedium contra morbum gallicum. Item Mercurius vulgi. Theoph. in libro de morbo Gallico & de principiis, cap. 6. Item aurum diaphoreticum ad tria grana in pilulis exhibitum. Laudanum mercuriale, Laudanum de tribus. Item curatur per Mumiam, Theophrast. in lib. De tempore tract. 3. Item per oleum Mercurii. Theophr. de signis Zodiac. in præfatione. Item per Lapidem Philosophorum, de tinctura Physic. cap. 6. Marcasita cum Mercurio, id est Antimonium est præsentissimum contra morbum gallicum. Multum quoque Spiritus seu Oleum flavum ex fuligine facit, & morbum hunc in summo gradu constitutum curat. Vide Alex. Pedemon. de secret. lib. 1. fol. 13. 14. 15. Gabrielis Fallopii tractatum pulcherrimum de morbo Gallico, quem & hirundinaria cum Theriaca Andromachi curat.

CAPUT XXXVI.

De Febribus.

IN explicatione morborum universali demonstravimus, quomodo impuritates nitro sulphureæ cum alimentis (sulphureæ enim nitrositates in omnibus alimentis copiosissimè reperiuntur) vaporosa substantia per totum corpus vehantur, quæ frustrata separatione & expulsione digestis temporibus, resolutis floribus nitrosulphurearum radicum febres generant, horrores, rigores, calores, sitim, capitis dolorem. Continentur autem tales radices febrium in omnium partium anatomiis, in ventriculo, intestinis, venis, mesenterii, epate, liene, renibus, synovia, in sanguine, carnibus, ut ubicunque fit separatio & digestio, seu ventriculus, quem omnibus corporis partibus inesse demonstravimus. Subtilitatem locorum, Elementorum, mumiæ & mechanciorum perpetuò æmulabitur semen. Quod si tincturæ nitrosulphureæ admixta habuerint semina Arsenicalia, Antimonialia, napellosa, auripigmentalia, inflammationem perfectam cum febre producent. Circuitus febrilium paroxysmorum non in specie, sed in gradibus consistunt, quod alia semina aliis sint maturiora & resolutioni viciniora. In fermentatione enim seminum vel radicum resolutionum circuitus numerantur, & decreta temporum valida peraguntur, quæ in scientiis tincturarum resolvendarum describuntur: ita stationes accipiunt ordinatas, primas, secundas, tertias, quartas &c. quibus instantibus servata progressionum progressione & continuitate emergunt, & destinata officia peragunt. Itaque post primam sobolem (resolutionem) exhaustis primis satellitibus, tincturis, superficiebus, si secundæ, vicinæ, continuæ superficies vel tincturæ 24. horis ad maturitatis terminum destinentur: si elementa & principia corporum, quibus obligantur, resolutioni accommodata tanto temporis spatio reddere possint, circuitus quotidianos ostendent, tertianos, quartanos, quintanos, sextanos, menstruos, anniversarios. Eadem ratione

Causæ variatæ paroxysmorum sufebribus.

servabuntur circuitoum proportiones, ut qualis fuerit proportio primi ad secundum, talis erit secundi ad tertium, tertii ad quartum, & sic deinceps. Transplantantur autem sæpe pstoxysinorum circuitus, externis impressionibus, idque fit cum interiorum & potentiorum astrorum tincturæ cum externis conspiraverint: quibus conspirantibus, quia radices febrium intermittentium hermaphroditicæ sunt, æquivocas generationes admittunt. Ita tertianæ in quartanas & quotidianas degenerant, & quartanæ rursus in tertianas, erraticæ, intermittentes in continuas & vicissim.

Sunt quoque Tincturæ seminales efflorescentes febrilium impuritatum homogeneæ aut heterogeneæ. Homogeneæ, id est, æquè maturæ quæ continuitatem temporis in resolutionibus fructuum custodiunt, ut in febribus ardentibus, hectica, pleuritide, prunella, peste & similibus morbis. Heterogeneæ, quæ continent tincturas efflorescentiâ fructuum in lucem prodituras, aliàs maturitati viciniores, aliàs verò remotiores. Inde fit, ut hodie partes maturæ efflorescant cras, perendie, vel tertio die, quibus secundæ maturitatis sortes obtigerunt: tertio circuitu, quæ prædestinatione tertias acceperunt, idque continenter in consumptionem omnium resolutionum, in resolutione radicis definitarum.


Methodus vera curandi febres.

CURA. Paracelsus lib. 1. de Tartaro cap. 1. In cura Tartari comprehenduntur omnia genera febrium. Item eodem capite: Omnia medicina quæ tartarum resolvit vel expellit, febrim curat. Quamobrem in curatione febrium confestim instituenda est resolutio, consumptio, destructio, ablatio nitrosulphurearum impuritatum, idque per sudores, insensiles transpirationes, urinas, alvi excretiones, vomitiones, Lib. 2. de vita longa, cap. 5. Ad febres removendas sit primò purgatio febrilis, deinde cura specifica, & minutio causalis. Purgatio autem febrilis optima est, quam Paracelsus Diacelratesson vocat, & est ex Antimonio, illa resolvit, expellit nitrosulphureas tincturas per vomitum, excretiones alvi, urinas, sudores, & insensiles transpirationes. Postea exhibendus est Spiritus Vitrioli, in quo cura specifica consistit.

Cura universalis. Contra omnes febres præsertim quartanam facit Sal Armoniacum septies sublimatum, & planè spirituale factum, in haustu vini vel cerevisiæ calidè assumptum, & sudet æger. Hoc medicamento utatur octo diebus manè jejuno stomacho. Est quoque acetosum Esurinum. Item contra omnes febres faciunt Opiatorum quintæ essentiæ. Item Ol. sulphuris dulce. Item Oleum Vitrioli rubeum ex Vitriolo Ungarico factum, ex aqua hordei haustum. Item Lapis Philosophorum. Centaurea minor in cerevisia cocta & cum sacchato mixta propter amaritudinem bonum haustum manè. Item Salis Absynthii ℨj. assumpta in vino, & sudet æger. Item Succus Absyothii cum saccharo mixtus. Item Spiritus Vitrioli. Bonum remedium contra febres est Sal Absinthii, melius Sal Cichorei, optimum Sal Cardui benedicti. Item Sal Solis, & Sulphur Solis. Observandum est in febribus quibusdam præsertim tertianis, & in omnibus aliis morbis astralibus & epidemialibus, mercurialibus, arsenicalibus ne seccetur vena. Nam sæpe compertum est, quod laborantes ejusmodi morbis post incisionem venæ mox extincti sint, & hoc experientiâ atque usu est comprobatum.

F I N I S.

Gloria tibi Domine JESV.







ELENCHVS CAPITVM IN HOC OPERE CONTENTORVM

FINIS.